

# EPISTULA LEONINA

## CCLXXXII

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM SECUNDAM (282)**

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>03-08</b>
<b>ET COEPI PARTE CARERE MEI (OV.Trist. IV 10,31sq.) .....</b>	<b>09</b>
<b>VERSIONES LATINAЕ ET ALIAЕ BONI SODALIS</b>	
<b>UHLANDIANI.....</b>	<b>10-13</b>
<b>NEMUS VINDOBONENSE</b>	
<b>Elegia Horatii Antonii Bologna Poetae Laureati.....</b>	<b>14-15</b>
<b>DE SCRIBA ROMANO</b>	
<b>Fabula quam finxit Lydia Brighi coeditrix Ephemeridis.....</b>	<b>16-21</b>
<b>CHRONOGRAMMATA (Rößler) .....</b>	<b>22-32</b>
<b>NONNULLA EMOLUMENTA ORBIS PICTI HEXAGLOTTI</b>	<b>33-45</b>
<b>DE APIO.....</b>	<b>33-34</b>
<b>DE APPORTATORE AUREO.....</b>	<b>34-35</b>
<b>DE ARACHIDE.....</b>	<b>35-36</b>
<b>DE ARANEO DIADEMATO.....</b>	<b>37-38</b>
<b>DE ARGYRONETA.....</b>	<b>39</b>
<b>DE ARMORACIO.....</b>	<b>40-43</b>
<b>DE ARMARIO FRIGIDARIO.....</b>	<b>44-45</b>
<b>ANATOMIA DICTATORIS (I) (Schramm, LL)</b>	
<i>Percey Schramm historicus excellens scripsit de aspectu, indole, moribus viri cuiusdam Austriaci omnium ducum quos Germania umquam habuit nequissimi. Leo Latinus verba Schrammiana togā ornavit.</i> .....	<b>46-56</b>
<b>DE PEREGRINO RHODANO HEREDE UNIVERSI</b>	
<i>Peregrinus Rhodanus (cui nomen barbarum est "Perry Rhodan") multa et magna facit itinera galactica, ut hominibus inveniat miracula cosmica et adducat animalia extraterrestria terram invisentia, repellat invadentia.....</i>	<b>57-79</b>
<b>ECHUS VOCES &amp; EPISTULAE.....</b>	<b>80-97</b>
<i>Lydia Brighi Coeditrix (80) - Radulfus Bonaëropolitanus (80-81) - Urbanus Ferrarius Brasiliopolitanus (82-83) – Paulus Kangiser Jacobopolitanus (83) – Victorius Ciarrocchi (83-84) - Marcus Cristini (84-87) - Horatius Antonius Bologna (87-88) - Maurus Pisini (88-90) - Joannes Carolus Mediolanensis (90-92) - Ansgarius Osloensis (92-95) – Naevius Sartorius (95-97)</i>	
<b>EMENDANDA ET SUPPLENDА</b>	<b>98</b>
<b>EPISTULA CHRISTIANI LAES.....</b>	<b>99-100</b>
<b>CERTAMEN QUIRINALE.....</b>	<b>101</b>
<b>MYSTAGOGUS PULCHER AUGUSTANUS.....</b>	<b>102</b>
<b>ALEDARIUM QUID SIT (Alexius Vestigiarius) .....</b>	<b>103</b>
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>104-107</b>

## PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.

*Cara Lectrix, Care Lector,*

quomodo te habes? Rectène vales? Tibine sol arridet?  
Qualis est tempestas in regione, ubi nunc versaris?  
Num frueris caelo satis sudo verèque aestivo? Leo  
Latinus his diebus ultimis parum vidit solis: Seden  
in oppidulo Bavariae Suebico caelum est nubilum,  
ventus flat frigidulus, imbræ cadunt haud rari. Nullo  
modo Leo sentit illos fervores intolerabiles, de quibus  
diurnarii timoris panici praeconatores mendacissimi  
blaterare non desinunt horrores *ecpyrosis*  
annuntiantes... Tamen Leo gratias refert ingentes  
ministro Germaniae Sanitatis insanissimo, qui quâ est  
arte medicâ mirabili imbutus, civibus benignè suadet,  
ut, si sub sole nimium sudent, petant umbram, et ut  
bibant aquæ sat multum. O quanta sapientia! Qui  
civis Germaniae suasiones tam salubres umquam  
suspicatus erat? Carolus autem medicaster ministrulus  
deliramentis covidianis finitis nunc totâ cum insanâ  
suâ se convertit ad terriculamenta ficticiae  
catastrophae climaticae depingenda...

Denuo Leo tibi præbet Cornu Copiae et Saturam  
Lancem: Lectionem utinam ne asperneris: magna est

varietas, quia delectat, habemus etiam aliquid aptum ad gustum tuum delicatissimum.

Verba huius Leoninae initialia sunt Ovidiana: Leo recitat locutionem illam, quā Ovidius in Vitā suā (Tristia IV 10) mirum in modum exprimit, quam vehementer lugeat post fratri obitum subitum et praematurum: **ET COEPI PARTE CARERE MEI** (OV.Trist. IV 10,31sq.). Quae locutio poetica Leoni in memoriam revocat illud **CANTICUM BONI SODALIS** illustrissimum, cuius verba panxit Ludovicus Uhland (1787-1862), melodiam composuit Fridericus Silcher (1789-1860). Cum forte Fortunā invenerim quattuor versiones huius cantici theodisci Latinas et haud paucas alias (etiam duas Russicas necnon Ucrainicam), te invito, ut facias **synopsin hermeneuticam**: compara inter se singulas versiones et scribe mihi, quatenus fideles aut infideles sint, num rhytmo et rimis cantici satis bene respondeant; et scribas mihi, quid tibi videatur de argomento carminis deque gravitate poeticā: placetne tibi carmen Uhlandianum an displicet et quā de causā? Sive placet sive displicet: dubium non est, quin haud alienum sit a condizione mundi hodiernā: profecto enim bellum in Ucrainiā non desinit saevire, immo periculum est, ne horrores Martis tantopere augeantur, ut fiat non ficticia neque climatohysterica, sed vera

fervefactio globalis veraque ecpyrosis mundi nuclearis... Utinam tandem fiat pax in Ucrainâ!

Magno honori nobis est, quod Horatius Antonius Bologna Poeta Laureatus benignê nobis misit elegiam excellenter compositam, c.t. **NEMUS VINDOBONENSE**.

Heri accepi tria capitula novae Fabulae originaliter Latinê scriptae, quibus legendis suavissimê affectus sum: Titulus huius fabulae mirabilis est "**DE SCRIBA ROMANO**", auctrix est Lydia Brighi Ariminensis, coeditrix Ephemeridis, cuius editor est Andreas Pizzotti. Narratrici florentissimae gratulor toto ex corde, exspectans animo suspensissimo capitula "Scribae Romani" sequentia...

Ne umquam praetermittas, o Musae Leoninae amatrix amatorve, **CHRONOGRAMMATA** Tobiae Rössler artificiosissima! Modo accepi eius chronogramma, quod spectat ad **QUATTUORDECIM AUXILIATORES** - quorum praesentia nobis cum semper sit laetabilis atque consolabilis, tum praecipue istâ in tempestate rerum...

Sequuntur nonnulla **EMOLUMENTA ORBIS PICTI HEXAGLOTTI**: quae spectant ad herbas et bestias

necnon ad armarium frigidarium: Nam **VARIETAS DELECTAT.**

Proximo loco tibi offero **ANATOMIAM DICTATORIS**. Percy Schramm historicus excellens scripsit de aspectu, indole, moribus viri cuiusdam Austriaci omnium ducum quos Germania umquam habuit nequissimi. Leo Latinus verba Schrammiana togâ ornavit. Nam cum vita atque mores **Caligulae, Claudi, Neronis necnon Domitiani** iam descripti sint multis verbis Latinissimis, adhuc mihi deesse videtur Latina descriptio tyranni omnium infamissimi...

Fabulâ huius Epistulae Leoninae finali agitur de heroe phantastico aetatis futurae, cui nomen est **PEREGRINUS RHODANUS**. Qui vir fortissimus (cui nomen barbarum est "Perry Rhodan") multa et magna facit itinera galactica, ut hominibus inveniat miracula cosmica et adducat animalia extraterrestria terram invisentia, repellat invadentia. Agitur ergo de fabulâ scientiae ficticiae; quae fabulae huius generis iam scriptae sint Latinâ, nudius tertius ex Insulâ Nirariâ mihi doctissimè scripsit Marcus Cristini Brixianus ille philologus necnon botanicus felicissimo ingenio praeditus. ...

Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam **EPISTULAS ET ECHÙS VOCES** mihi a lectoribus

benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ...


Denuo Leo te monet **CERTAMINIS QUIRINALIS**. Utinam quam plurimi iuvenes ingeniosissimi et Latinissimi nomen dent participando! - Ceterum iuvat et delectat participare **MONSTRATIONES AUGUSTANAS**, quas hac aestate habet summâ peritiâ, Latinitate disertissimâ Mystagogus **MAXIMILIANUS PULCHER**.

Et praeconium **ALEDARII** mihi ab **ALEXIO VESTIGIARIO** perhumaniter est missum; utinam quam plurima Latina accipiamus ex Europâ orientali. Nam Latinitas huius regionis uberrima alibi parum nota esse mihi videtur.

Nunc laetare perlustrans symbolas huius Epistulae Leoninae. Si eos textûs quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris - »sublimi feriam sidera vertice«. - Si agitur de quaestionibus litigiosis - semper studeas non sôlum thesi, sed etiam antithesi inveniendae; denique, micare, fortasse feliciter continget, ut nos, tu et ego, unâ inveniamus **synthesin!** Sed quaecumque senseris, ne umquam obliviscaris proverbium Romanum: **AUDIATUR ET ALTERA PARS!**

Cara Lectrix, care Lector, --- pancratice valeas et pergas mihi favere. Medullitus te salutat...

**Dr. Nicolaus Groß**  
**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.de/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae**

**Die Martis, 08. m.Aug. a.MMXXIII**



## ET COEPI PARTE CARERE MEI

OVIDIUS, Tristia IV 10, 31 sq.

Iamque decem vitae frater geminaverat annos  
cum perit, **et coepli parte carere mei.**

**ALS WÄR'S EIN STÜCK VON MIR ... Verba Ludovici Uhland et Caroli Zuckmayer**

„*Als wär's ein Stück von mir. Horen der Freundschaft*“ est titulus autobiographiae **Caroli Zuckmayer** a.1966 editae. Titulus principalis, linea carminis, c.t. *Der gute Kamerad* a **Ludovico Uhland** scripti, est etiam titulus capituli quarti, quo describuntur anni 1914–1918 et stipendum Zuckmayeri voluntarium in Primo Bello Mundano factum. „In fine musici militares tactu lento cecinerunt canticum Boni Sodalis, et nos tirones una cum aliis cantavimus vim huius strophae nondum suspicantes: *Hic iacet perforatus - Ad pedes meos stratus, - Ut ipsa pars de me. ,Es hat ihn weggerissen – Er liegt zu meinen Füßen – Als wär's ein Stück von mir.*‘)

# VERSIONES LATINAE ET ALIAE BONI SODALIS UHLANDIANI

[https://de.wikipedia.org/wiki/Der\\_gute\\_Kamerad](https://de.wikipedia.org/wiki/Der_gute_Kamerad): Der Text Der gute Kamerad wurde 1809 von [Ludwig Uhland](#) in [Tübingen](#) gedichtet, 1825 vertonte ihn der ebenfalls in Tübingen wohnende [Friedrich Silcher](#). Das so entstandene Lied wurde bekannt unter der Anfangszeile der ersten Strophe: Ich hatt' einen Kameraden.

Marschmäßig

Ich hatt' einen Ka-me-ra-den, einen bes-ssern findst du nit. Die  
 Trom-mel schlug zum Strei-te, er ging an mei-ner Sei-te in  
 gleichem Schritt und Tritt, in gleichem Schritt und Tritt.

Ich hatt' einen Kameraden,  
 Einen bessern findst du nit.  
 Die Trommel schlug zum Streite,  
 Er ging an meiner Seite  
 In gleichem Schritt und Tritt.

Eine Kugel kam geflogen,  
 Gilt's mir oder gilt es dir?  
 Ihn hat es weggerissen,  
 Er liegt mir vor den Füßen,  
 Als wär's ein Stück von mir.

Will mir die Hand noch reichen,  
 Derweil ich eben lad.  
 Kann dir die Hand nicht geben,  
 Bleib du im ew'gen Leben  
 Mein guter Kamerad!

Gotthold MERTEN (1935) <sup>1</sup>	Elmar LEIB (1976) <sup>2</sup>	Robert KRAUSE (1915) <sup>3</sup>	Werner EBEL (1974) <sup>4</sup>
Fuit mihi sodalis Vel amicissimus, Qui militum progressu Et hostium accessu Exstitit socius.	Habebam commilitonem, meliorem nescio. Tub(a) ad pugnam vocavit, Ad latus meum iit Pari semper gradu.	Habui contubernalem, Melior non noscitur. Tympanum sonat luctari; me gressu, passu pari Instare prosequitur.	Fuit mihi sodalis, Meliorem nemo scit. Est tympanum pulsatum, Ad proelium iussum datum Aequo passu iit.
Sagittâ tunc emissâ Ex arcu hostium Non me, sed illum icit, Alacre robur vicit prosternens socium.	Letalis glans advolavit: Percutitne me an te? Ictus illum avulsit, iacet ad pedes meos Tamquam alter ego.	Globulus, heus! advolavit: Me feriet an te? Hic iacet perforatus Ad pedes meos stratus, Ut ipsa pars de me.	Telumque pervolavit, Agitur de me, agitur de te? Est ille laceratus, ad pedes mihi stratus, ut esset pars a me.
Quem dextram porrigentem Pugnanti tunc mihi Non manibus curare, sed solum salutare In aevum potui.	Vult mihi dexteram dare, Quoad glandem apparo: Manum non possum dare, In vit(a) aeterna mane, Mi bone commilito!	Ad vale manum tendit, Dum plumbum insero. Non manum possum dare, In aevo commorare Bonus commilito!	Vult manum mihi dare, Mittenti iaculum, Non possum manum dare Precor in aevum stare te bonum socium!

**ISOLDE KURZ: Aus meinem Jugendland, Tübingen 1918, S.103 ([Digitalisat im Projekt Gutenberg](#)).**

Auch in Tübingen fuhr Mama fort, mich selber zu unterrichten, doch handelte sich's dabei mehr um die lebendige Anregung als um eigentliche Über[S. 103]mittlung des Lehrstoffs, und es blieben viele Lücken, die ich später allein ausfüllen mußte. Für den schlechten Ausfall des Arguments entschädigte ich sie dadurch, daß ich den „**Guten Kameraden“ von A bis Z in lateinische Verse brachte**, wobei allerdings an einer gar zu wackligen Stelle der Papa eine Zeile einflickte, die sich ausnahm wie ein Lappen feines Tuch auf einem verschlissenen Kittel. Aber das gute, leicht befriedigte Mütterchen war hoch erbaut und sang fortan **das Uhlandsche Lied** am liebsten in meiner Lesart: **Habebam commilitonem** etc. Daß ich für die lateinische Grammatik noch immer keine Begeisterung zeigte, schrieb sie der Unvollkommenheit ihrer eigenen Kenntnisse zu und sah sich nun nach einem Lehrer für mich um, den sie in Gestalt eines blutjungen katholischen Theologen aus dem Konvikt gefunden zu haben glaubte. Allein dieser hielt mich meiner Größe nach für erwachsen, behandelte mich barsch, um sich der fremdartigen Schülerin gegenüber eine Haltung zu geben, und verbot mir sogar, ihn anzublicken. Gleich nach der ersten Stunde erklärte er meiner Mutter, daß das Lehramt bei einem jungen Fräulein mit seinem künftigen Beruf unvereinbar sei, und kündigte den Unterricht auf. Aber das ist ja gar kein Fräulein, sagte meine Mutter verblüfft, das ist ein Kind von elf Jahren. Allein[S. 104] er blieb bei seiner Weigerung, und damit fiel das Latein für längere Zeit ganz zu Boden. Die Anfänge der neueren Sprachen brachte sie mir auf dem lebendigen Wege bei, auf dem sie selbst sie von ihren ausländischen Gouvernanten empfangen hatte, während meinen Brüdern auf der Schule auch das Französische und das Englische zu toten Sprachen gemacht wurden. Dies war der einzige Punkt, auf dem meine so sehr erschwerte Ausbildung sich den Brüdern gegenüber im Vorteil befand.

1 Gotthold Merten, Canta Latine! Deutsche Lieder in lateinischer Sprache. Berlin/Bonn [Dümmler] 1935.

2 Elmar Leib, in: Caelestis Eichenseer, Latinitas Viva – Pars Cantualis, Saraviponti – Saarbrücken 1986, p.20

3 Robert Krause, Deutsche Dichtungen in lateinischem Gewande. Pars secunda: Greiffenberg in Schlesien, 1915, p.14.

4 Werner Friedrich Ebel, VOX LATINA 37, 1974, p.80

Versio Anglica	Versio Francogallica	Altera Versio Francogallica	Prima Versio Hispanica
I had a comrade, You couldn't find a better one. The drum called to battle, He walked by my side, In the same pace and step.	J'avais un camarade Un meilleur tu ne trouveras pas Le tambour nous a appelés pour nous battre Il marchait toujours à mes côtés Du même pas	J'avais un camarade, De meilleur il n'en est pas; Dans la paix et dans la guerre Nous allions comme des frères Marchant d'un même pas.	Yo tenía un camarada, no encontrarás uno mejor. El tambor llamaba a la batalla, él caminaba a mi lado siguiendo mi mismo paso.
A bullet came a-flying, Was it aimed for me or you? He was swept away, He lies at my feet, As if he were a part of me.	Une balle a volé vers nous Est-elle pour moi ou pour toi? Elle l'a arraché à la vie Il se trouve maintenant à mes pieds Comme une partie de moi	Mais une balle siffle. Qui de nous sera frappé? Le voilà qui tombe à terre, Il est là dans la poussière; Mon cœur est déchiré.	Una bala vino volando: ¿es para mí o es para ti? Se lo llevó por delante. Yace a mis pies como si fuese una parte de mí
He reaches out for my hand, While I was loading. I cannot hold your hand, Stay in eternal life My good comrade!	Il veut encore me tendre sa main Tandis que je recharge Je n'ai pu lui donner ma main Reste dans la vie éternelle Mon bon camarade!	La main, il veut me prendre Mais je charge mon fusil; Adieu donc, adieu mon frère Dans le ciel et sur la terre Soyons toujours unis.	Quiere alcanzarme su mano mientras estoy recargando. "No te puedo dar la mano, ¡descansa en la vida eterna mi buen camarada!"
Altera Versio Hispanica	Prima Versio Italica	Altera Versio Italica	Versio Neograeca
Yo tenía un camarada, entre todos el mejor. Siempre juntos caminábamos, siempre juntos avanzábamos, al redoble del tambor.	Io avevo un camerata, non ce n'è miglior ahimè. Che tuonasse la battaglia, che fischiassse la mitraglia, saldo stava accanto a me, saldo stava accanto a me.	Io avevo un Camerata, uno migliore non lo troveresti. Il tamburo suonava alla battaglia, lui camminava al mio fianco, allo stesso passo, sulle stesse orme.	Eίχα κάποτε ένα σύντροφο Καλύτερο δεν θα' βρισκες Όταν το τύμπανο χτυπούσε για τη μάχη Προχωρούσε στο πλευρό μου [: Στο ίδιο βήμα και ρυθμό:]
Cerca suena una descarga. -¿Va por ti o va por mí? A mis pies cayó herido el amigo más querido y en su faz la muerte vi.	Una palla, tra migliaia, destinata a trarti al ciel! Colpito t'ebbe al petto, t'accasasti senza un detto, camerata mio, fratel! Camerata mio, fratel!	Una pallottola arriva volando, tocca a te o tocca a me? Ha portato via lui, che giace ai miei piedi come fosse una parte di me.	Μια σφαίρα ήρθε αδέσποτη. Για αυτόν είχε προορισμό ή για 'μένα; Τον πέτυχε αυτόν και τον πήρε άξαφνα από την ζωή, Τώρα κείτεται άγυνχος στα πόδια μου μπροστά, [: Σα να' ταν ένα κομμάτι από 'μένα.:]
Él me quiso dar la mano, mientras yo el fusil cargué. Yo le quise dar la mía, entre tanto me decía: -!Por España moriré!	Mi tendevi ancor la mano, implorandomi invan: - Non ti posso qui aiutare, mentre deggio ancor sparare. Ci vedremo in ciel doman, ci vedremo in ciel doman! -	Lui vuol tendermi ancora la mano, proprio mentre sto caricando. "Non posso darti la mano, riposa nella vita eterna, mio buon Camerata."	To χέρι μου θέλει ν' αγγίξει Ενώ το όπλο μου ξαναγεμίζω. "Το χέρι δε μπορώ να σου κρατήσω, Στην αιώνια ζωή τώρα ξεκουράσου, [: Καλέ μου σύντροφε, εσύ!":]
Gloria! ¡Gloria! ¡Gloria y victoria! Con el cuerpo y con el alma, con las armas en la mano, por la Patria.			
Nuestros cantos, que vuelan, el viento los lleva por ahí, que en España, que en España, empieza a amanecer. <sup>3</sup>			

Prima Versio Russica	Altera Versio Russica	Versio Polonica	Versio Lettonica
Был у меня один товарищ, Лучше которого не същешь. Стучали барабаны, призывая на битву, Он маршировал рядом со мной [: В том же темпе, нога в ногу.:]	Был у меня товарищ, Уж прямо брат родной. Удалили тревогу, С ним дружным шагом, в ногу Пошли мы в жаркий бой.	Miałem ja towarzysza – Lepszego nie znajdziesz, nie! Gdy bębny do boju grzmiały, Krok w krok na polu chwały Szedł razem obok mnie.	Reiz bija man kāds biedrs, Draugs uzticams un vecs. Kad bungas sauca cīņā, Es gāju līdzās viņam, Mums bij pie pleca plecs.
К нам летела пуля Ему ли или мне? Она его поразила, Он лежит под моими ногами [: Словно был частью меня.:]	Вдруг свистнула картечка... Кого из нас двоих? Меня промчалось мимо; А он... лежит, родимый, В крови у ног моих.	Wybiegła na nas kula... Czy mnie, czy tobie zgon? Ach! jego mi wyrwała Jak część mojego ciała: U nóg mych pada on!	e atlidoja lode, Jau nāvē gaisā mirdz; Nupat viņš blakus gāja, Nu guļ pie manām kājām Kā izrauts man no sirds.
Хочет дотянуться до меня рукой, Пока я перезаряжаю ружье. "Не могу пожать тебе руку сейчас, Ты отошёл в Вечную Жизнь, [: Мой славный товарищ!" :]	Пожать мне хочет руку... Нельзя, кладу заряд. В той жизни, друг, сочтёмся; И там, когда сойдёмся, Ты будь мне верный брат.	Wyciąga do mnie rękę, Gdy trzeba spieszyć w bój: „Ręki ci dać nie mogę; Idź na wieczności drogę, O, towarzyszu mój!”	Vēl sniegt viņš grib man roku, Bet es jau lādēju. Man atkal jāiet karot, Lai mūžība tev staro, Mans labais biedri tu.

Versio Ucrainica
Був у мене колись приятель Нікого кращого не знайдеш. Барабан до битви закликав нас І Він ходив там, зараз біля мене (Точим ходом та і кроком.) 2x
А Куля прийшла, прилетіла, Призначено це мені чи то тобі? І тоді воно життя, взяло його, Тепер він лежить тут у моїх ногах, (Як це була частина мене.) 2x
Ще він протягнув мені свою руку, Коли прагну перезавантажити. "Не можу зараз взяти руку, твою Дай тобі відпочити, во вічному житті (Мій хороший приятель. ") 2x

[https://www.youtube.com/watch?v=8kW-I\\_UVIL1](https://www.youtube.com/watch?v=8kW-I_UVIL1)

Der gute Kamerad (Ich hatt' einen Kameraden)

<https://www.youtube.com/watch?v=ISQo3Q9RWAY>

## VERSIONES BONI SODALIS UHLANDIANI COLLEGIT LEO LATINUS

# NEMUS VINDOBONENSE

## Elegia quam panxit Horatius Antonius Bologna Poeta Laureatus

Castalius nemus in celsum me ducat Apollo:  
     hic notus gemino vertice surgit apex.  
 Illuc cum veniam, Musae dulcesque Camenae  
     me puerum doceant laeta per arva leves  
 tempore quo prisco montes silvaeque virentes,         5  
     laurigeri saltus, flumina facta sient,  
 alite sit completa levi dulcissima tellus,  
     tectum flore siet multicolore nemus.  
 Sarmatiam peragrare iuvat me, carmina grata  
     condentem, Lycio progrediente deo.                 10  
 Hic populus statuit priscus fortissimus urbem,  
     Cracoviam claram quam civis ille vocat.  
 Ut Nympham lingua celebrem meliore Polonam,  
     Cracoviam doctam Sarmatiamque canam  
 felicem, Aonidas puerum me ducat Apollo         15  
     ad rupes celsas, sole ferente diem.  
 Propter aquas fluvii gelidas, pastore canente  
     uxorem, memoret dona superna dei.  
 Me nemus Aonidum gelidum nunc adiuvet altum,  
     quod coetum foveat, murmura laeta ferat.         20  
 Sidera cum claro collustrent lumine montes,  
     cornibus incertis Trivia tarda venit.  
 Vespera descendunt gelidae de montibus umbrae,  
     et pecudes lassae saepta quieta petunt.  
 Pierides pectus doceant animumque silentem         25  
     pallida quid faciat Nympha Polona domi.  
 Vindobonense nemus peragrat, quod Iuppiter ipse,  
     lite gravi lassus, flamme flante, petit.  
 Alma quies hominum patrem divumque satorem  
     accipit ac lenit pectora sancta dei.                 30  
 Illuc ipsa Venus contendit, ducta lepore:  
     tristitiam divae luna fugare solet.  
 Illic et Dionysus adhuc contendit, amore  
     virginis intactae captus, acerba gerens.  
 Hic vinum gustare nequit, sed gustat amores,         35  
     quos Bacchae tenerae noctifugaeque ferunt.  
 Hic pectus doctum faciat nunc docta Minerva,  
     Pierides ducat casta Camena manu.  
 Huc veniat laetus repetens divinus Apollo

Vindobonense solum Pannonicumque nemus. 40  
Si puerum, qui rudis adest, fecere Camenae  
carminibus dignum dulcisonisque modis,  
sponte tuum vivus celebrat, divina, decorum,  
mortuus adspiciet, Nympha, serena loci.

*»...Paruam ad te elegiam mitto, ea ductus spe fore ut edatur.  
Nescio quid de illa sentias, sed eam libenter aliquot iam annos  
contexui. Cura ut quam plurimum ualeas. Horatius«.*

# FABULA FICTA DE SCRIBA ROMANO NARRATUR



**Narratio a Lydiâ Ariminensi scripta  
quae est coeditrix Ephemeridis**

## PARS PRIMA: De adulterio

Miser scriba sum qui operam dat apud ditissimum mercatorem cui lata praedia sunt; iam timeo ne fortuna meum exitium statuerit; tamen, in maximo vitae discrimine, memorias scripturus sum ut summam sollicitudinem, quae animo impendet, paululum leniam. Dominus nuper a me petiit ut sibi auxiliarer ad deprehendendam in manifesto adulterio uxorem, sed firme recusavi, fictis causis adductis: sine intermissione in tablino operi rationem reddendi me deditum esse nec dominam speculari posse; praeterea maximam reverentiam quae domino dominaeque servus deberet impedire quominus illud facerem. Omnibus familiaribus notum est dominam, viro absente, delectari servorum amplexu electis formosissimis et maxime iuvenibus. Quod dedecus vir non ignorat, tamen, usque ad hoc tempus, ob dotem collatam, in eodem conivit. Nunc ad secundas nuptias transire cupit, in animo habens se filiam socii negotiorum in matrimonium ducere; haec est causa quapropter paratus est ad mulierem eius culpa repudiandam, quod dotem reddere non vult. Ipse omnia mihi aperuit.

Cum omnia noverim ac quominus socius insidiarum fierem recusaverim, nonne credas me delatorem? Tacitus abiit. Cur non ei concessi auxilium quod petierat? Domina est nobilissimae et antiquissimae gentis: si speculator essem vel adulterii testis, iam perissem; eius ultionem non effugerem. Certum habeo dominum quendam delatorem invenisse et Roma ad tempus cum amico ad villam redditum; ipse hoc consilium dedi, quod testimonium civis Romani sine dubio melior est quam servi, quamquam eruditum.

Tamen res in peius mutata est: hodie dominus me edocuit se profecionem simulaturum esse, proximaque nocte cum quodam qui adulterio detecto adesset redditum; qua re iussit me papyrus, atramentum et calatum parare ut scriberem in re testimonium perfidiae, quod patri foedifragae ostenderetur. Paulo post se imperare posse uxori, ex lege, ut sua curaret et clavem redderet.

Res secundae viro fuerunt, ut antea provisum erat; femina furens prima luce profecta est, servis comitantibus, secum nonnullas cistas ferens, postquam media nocte in cubiculo cum servo in manifesto adulterio deprehensa erat. Quis est qui possit a cruce

me eripere? Dominus nolet quemquam suum dolum novisse. Magna voce in atrium intempsa nocte iniit, dictitans suum currum subversum esse, inclamavitque mulierem ut eum qui domum se reduxisset hospitem decore acciperet. Qua ficta causa ad cubiculum uxoris contendit: paulo post ego et amicus vocati sumus ut spectaculo turpi adessemus. Adulescens vinctus est nudus; dubium non est quin extremum supplicium passurus sit. Domina sub stragulis se abdidit, dum omnia scribo adiuncto testis nomine.

Iam ad extrema remedia perveni: unus ex infimis sum, sed aliter ac ceteri, scribere didici. Cum in cubiculum eruptionem exspectarem, consilium praeparaveram quod hodie peregi. Libertus amicus mihi est qui apud imperatoris administrationem in opere est: ecce quod effeci, ex sententia, q.e. “mors tua vita mea”. Impudenter prodidi dominum et dominam, cum eos accusavi criminis maiestatis, nimirum falsis rebus denuntiatis: non multo antea illos in epulis quibus etiam Gaius Calpurnius Piso adesset, intemperantiam et immanitatem imperatoris Neronis vituperavisse. Pisonis familia villam Baiis habuit, quae paulo abest, antequam coniuratio detecta esset, sed nemo eorum umquam huc venerunt. Pro certo habeo iudicium legitimum non commissum iri: nam imperator cum egregii cives coniuraverint, periculose se degere sentit, ut omittam quod ei magna pecunia opus est, cum sumptuosissimam villam apud Palatinum perficere cupiat.

Secreto litteras dedi pro magna mercede cuidam tabellario qui domini epistulas Romam afferre solet, ut etiam meam ad libertum redderet. Nonne praetoriani advenient antequam trucidatus sim vel lumen lucernae factus ad palum fixus?

Quintus dies transactus est a dominae discessu, quae Romam domum patris rediit. Etiam dominus sua domi in urbe est. Mihi mandavit ut novam pactionem nuptialem conscriberem, statuta dotis summa. Nisi altera uxor ei filios genuerit, ut priori accidit, ipsam repudiare poterit. Interea miser adulescens captus laqueis amatoriis a domina, iam ad lignum clavis fixus est. Misericordi animo antea occisus est, quia nemo audire eius eiulatus voluit.

Puto meam epistulam iam pervenisse quo missa erat. Ab amico petii ut emerer iussu imperatoris adiutor aerarii rationum. Utinam res bene eveniat! Ego quoque manu mitti velim. Pro munere domino oblato peculium habui annum, cui pepercit ne asse quidem expenso, ut ita dicam; semper cibum potumque in culina domestica sumpsi et vestimenta cum calceis ab ero praebita sunt.

Hodie imperatoris nuntius advenit. Dominus et domina comprehensi sunt; villa in publicum redacta est cum omnibus rebus, vivis et non vivis. Mox venum ibit; interea munus administrandi praedia non intermittam, quae possessori ablata sunt. Nunc quidem salvus evado. Quo usque? Servus quacumque causa capite damnatur, sed ne potentiores quidem periculis immunes sunt hoc tempore quo, defuncta antiqua re publica, unius arbitrium omnibus praestet.

## PARS SECUNDA: Sub imperatore

Postquam villa domini naviculario Neapolitano veniit, commendante amico Rutulo, qui in opere est apud aerarium, emptus sum sub nomine imperatoris, ut munere ratiocinatoris fiscalis fungerer. Nunc me satis securum reproto, auctoritate Neronis defensum; dominus et domina in odium imperatoris ceciderunt; cum coniurationis Pisonianae crimine soluti essent, tamen magnam fortunarum partem perdiderunt et exulatum abire coacti sunt.

Incolumnis evasi sed hic laborantes admodum infidi sunt: delatio constanter unicuique velut Damoclis gladius impendet. Ego operam do iuxta veterem servitutis comitem qui sibi manumissionem comparavit et peritissimus ratiocinator factus est. Munus quod ad me attinet ex hac re constat, impensam materiae computare emptae ut magnifica villa imperatoris aedificetur quae a Palatino ad collem Oppium pertinet; tam sumptuosa est ut vulgo “domus aurea” appelleatur. Mihi mercatores subeundi sunt et minuenda pretia, minaci facie ut metum incutiam. Plerumque res bene evenit, quod plurima sunt mandata mercatoria iisque multitudinem mercium vendere prodest, etiamsi minore pretio.

Aedificatio celeriter fit, cum non longum intervallum transactum sit ab incendio quod urbem vastavit. Nero accusatus est quod iussisset ignem admoveri, ut magna spatia sibi essent ubi domum struendam curaret; verosimiliter senatores inimici eum falso crimine insimulaverunt: minime decere, ex suis sententiis, illum in spectaculis ut histriōnem vel musicum ostentari; etiam plebis pars infensem animum in eum volvit. Quapropter culpam contulit in quandam gregem plerumque generis Hebraeorum qui Christiani vocantur adorantque deum crucifixum quem resurrexisse ipsi credunt. Hoc ludibrium edidit fortuna, ut magna multitudo Christianorum crucifigeretur, quorum pars suspensi et usi sunt ut noctem illustrarent. Multi eorum positi in viis ante occisi sunt quam affixi essent, cum milites misericordia moverentur vel metuerent ne miserabiles voces molestiam bonis civibus afferrent.

Hoc mihi narravit serva quae mecum iacet et operis domesticis in mea parva habitatione incumbit. Ea cum grege Christiano consentit, qui humiles accipit et immortalitatem credentibus promittit; cum convenient panem edentes ac vinum bibentes reputant se corpus Christi consumere, cuius sacrificium pro fidelium salute post mortem semper renovetur. Fabula inventa ab insana mente videtur, sed ea particeps ritus fuit; sine difficultate admissa est, cum filia esset Hebraeorum qui Romam servi translati sunt post unam ex tot rebellionibus in Palaestina exortis. Ignoro cur mihi secreta aperuerit; nonne pavet ne se prodere possim? An fortasse putat a me nihil patefieri oportere, ne qua suspicio de me exoriatur? Amicus Rutulus qui ad me hanc servam misit, novitne eius genus? Nonne vult quadam ratione in metum me inducere vel in obsequium? Sed quo modo genus omnium servorum inspici potest? Milia servorum Neroni sunt, ex quibus plurimi a remotis regionibus imperii advenerunt: nostra patria nullius momenti est, praesertim cum non omnes Hebrei Christiani sint.

Vices meae contubernalis dignae sunt quae narrantur; ornatrix Poppeae fuerat, sed olim acu caput dominae pupugit, sanguinis parvam iacturam efficiens; poena talionis affecta est, sed gravissime: acu palma confixa est, postea eodem ferro deturpata; demum venum data est in foro ac casura erat in sordidi lenonis manus, quia, quamquam vultu secto, ceterum forma venusta est. Tum Rutulus cui mandatum erat ut miseram venderet, motus misericordia lacrimisque, constituit eam emere et ducere in partem aedificii, sedis nostrae operae, ubi cum concubina vivit, iuxta meam parvam habitationem, non longe a “domo transitoria” Neronis quae ab incendio deleta est. Comes Rutuli valde suspicosa est, sed is novam servam, ore caeso, amantis invidiam non excitaturam credebat; hoc non exstitit et consilium cepit ut mecum incoleret.

Nostrum est coniugium miserorum qui multum inter se differunt. Nunc eam vocant Syram, sed nata est a genere Hebraeo satis locupleti. Nihilo minus gratias suo Deo agit quod in luponari non stat speratque se meae domi morituram esse. Possumus filios gignere, at postea venibunt: quinam maeror maior esset? Memini, quomodo de matris complexu avulsus sim. Cum puer essem decem annorum iam in spe erat me domi mansurum esse ut domino operam navarem. Sed munus puero deerat. Tum me diviti mercatori vendiderunt, cuius scriba servulum litteras et computationem docuit. Saepe eam valde desidero; quot annos agit? Tunc florebat iuventute, sed adhucne vivit? Servis, si bene valent licet domi manere usque ad proiectam aetatem; si in morbum incident non curantur ac mox obeunt. Villa ubi servit Nomenti est, non longe ab urbe. Quomodo eam convenientiam? Nequeo sane ostium pulsare et facere ut agnoscar: expellerer fustis ictibus. Mihi quaerendum quomodo huc vehar ut matri obviam fiam, dum se ad mercatum confert vel lavatum ad rivum itura est.

### **PARS TERTIA: De origine**

Quomodo agam ut mihi liceat iter Nomentum facere? Satis liber in opere sum, sed ratio optionum et itinerum mihi reddenda est. Peropportune in oppidulo marmoris Euboici forum est: e Rutulo quae*sii* ut illuc adirem ad materiam inspiciendam et emendam quae domum Neronis ornet. Nomentum curru vectus sum administratione rei publicae commodato. Statim recordatio meae infantiae subit; lacrimans in recessum delitesco. Servitne mater etiam nunc in domo consularis Tiburii? Estne ille meus pater? Ignoro. Hoc novi, puerum decem annorum me venundatum esse; deinde meliore fortuna frutus sum, cum quidam legere et ratiocinari me docuisset. Lintea fertne adhuc mater lavatum ad amnis petram? Ab auriga depositus sum ante tabernam vinariam, quam supra in tabulato superiore cubicula viatoribus locantur; per nonnullos dies hic morabor: etiam tabernae aliquorum artificum in viciniis explorandae sunt. Sed iam hoc tantum valde cupio, matrem complecti. Omnia speculaturus sum multo mane apud domum, cum in spe sim, fortasse inaniter, me eam conspecturam dum ad mercatum it vel ad lavandum, velut si viginti anni non transierint.

Sol in alto caelo refulget, aër vernus tepet. Iam diu exspecto, ubi via flectitur simulans me delectari dum aleatores intueor qui in thermopolio ludunt, sed limis oculis proximam domum aspicio. Servi facies non mihi est, barba accurate tonsa, tunica lnea magno pretio induita. Demum peto ut panis, oleae, caseus ac parum vini parentur. A porta a latere posita animadverto pueras exire quae plostellum agunt cum saccis; ad pistrinum propinquum haud dubie pergunt ut panem tollant; paulo post cum onusto vehiculo redeunt atque gratus odor panis in aëre effunditur. Interea porta frontis aperitur ut ex solito grex clientium domum ingrediatur; aleatores quoque exsurgunt, cum sportulis introeunt, ut sibi panis vel aliquid aliud dispensetur. Apud omnes laudes consularis filii propagabunt qui in urbe aedilitatem petit suffragiis tribuum ruris, nummis vel pane distributis, quod audivi a quodam potore in thermopolio. Iam despero de matre, cogitans eam obisse vel non exire posse.

Ecce, illam video exeuntem quae plostellum agit pannis onustum. Non fallor: ipsa est. Obliquam imaginem, gressum leviter claudicantem agnosco. Pergit ad amnem qui medium oppidum interfluit, in locum idoneum ubi feminae pannos in aquas mergunt quatuntque. Quomodo me ostendam? Multa nequibo loqui, solum velim ad eam appropinquare ut me agnoscat, ut noverit me vivere, bene valere. Incipio me movere, librum extraxi de opere Horatii poetae scriptum. Ambulo quasi homo liber sim in via infrequenti, velut tempus in legendis consumam. Tandem mater consistit apud rivi ripam, ubi saxum est in quod linteas quatiet. Ad proximam arborem appropinquo, quasi umbra refrigerari cuperem. Operae dedita ad me non attendit. Tum me inclino, calceos exuo et pedes aqua perfundo. Digitus medius alterius pedis ab infantia ob levem casum contortus est. Cum ipsa id conspexerit, expallescit, aperto ore manet nec spiritum haurire videtur. Pavidus paululum discedo; postea, cum ad eam non converterim, ne aliae feminae proprius lavantes quicquam animadvertant: "Salve, mater" - inquam - „scriba sum ac bene valeo; valde cupii te aspicere ac me a te aspici". Paulo post sumissa voce loquitur: "Tibi discedendum est; nimis similis es patris familiae filio; te occidere possunt, si te conspiciunt; noli de me sollicitari; bene me tractant; bene valeo; abi, pro bono meo et tuo". "Si manumissus ero, redibo ut te auferam a domino et domum meam ducam". Nihil postea addit, dum lacrimae effusae miscentur amnis aquis.

Ergo rectam suspicionem habui: filius nothus domini sum: cum venumdatus sum, filius legitimus prope aequalis meus erat. Cur non occisus sum? Alter filius a serva partus molestus dominae potuit esse; verisimile est illam hoc ignoravisse. Serius quandam similitudinem puto impedimento familiae fuisse. Ambo rufuli ut pater eramus, hoc memini.

Reditus in Urbem ad turbam et strepitum usitatum me rettulit. Maximo desiderio illorum dierum teneor cum degi ut liber, quamquam iterum matrem non revisi. Non potui tamen facere quin patrem et fratrem conspicerem. Idcirco ut servus tunicam tritam indui et cum pera huc illuc ambulabam, quasi aliquid iussu domini ferrem.

Nullum animi motum visus patris fratribusque excitavit: sanguis propinquus nullius momenti est inter nobiles et servos. Ibant togati, reverenter salutabantur ab iis qui eos noverant; retro duo servi sequebantur, ut suum ordinem et opulentiam monstrarent.

Me nullo modo animadverterunt, sed a comitantibus observatus sum, immo alter percontatus est: “Heus! Quis est dominus tuus? Numquam te vidi antehac”. Respondi me servum mercatoris in itinere esse.

*Fabulam*  
*c.t.*  
***De Scriba Romano***  
*narrat*  
***Lydia Ariminensis***  
***Coeditrix Ephemeridis***

# CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

## Zbigniew Herbert

\* 29. Oktober 1924 in Lemberg, Polen

† 28. Juli 1998 in Warschau

VI G I N T I Q V I N Q V E A N N I S A N T E  
 V K A L . S E X T I L E S V A R S A V I A E O B I I T  
 Z B I G N I E V V H E R B E R T  
 P O E T A I N S I G N I S P O L O N I C V S  
 C R E A T O R D O M I N I C O G I T O

M M X X I I I

Am 28. Juli vor 25 Jahren starb in Warschau ZBIGNIEW HERBERT.

Der ausgezeichnete polnische Dichter war der Schöpfer des „Herrn Cogito“.

Verschiedene Literatur-Nobelpreisträger über Zbigniew Herbert:

Josif Brodski

„Herbert ist Lyriker mit einer außergewöhnlichen Konsequenz, vor allem deshalb, weil sich seine Gedichte auf die Ursache konzentrieren und nicht auf die Wirkung, die er als einen zufälligen Vorfall ansieht. Und das stimmt: Symptome sind schließlich keine Krankheit. In diesem Sinne ist Herbert ein historischer Dichter. Seine Feder beruft sich tatsächlich oft auf die Geschichte, die trotz allem die Mutter der Kultur ist. Und er macht dies deshalb, um dem Leser zu helfen, die Vulgarität des Alltags zu ertragen und mit etwas Glück sogar zu überwinden. Seine Gedichte zeigen, dass der größte Teil unseres Glaubens, unserer Überzeugungen, unserer sozialen Ideen verwerflich ist, zumindest auch deshalb, weil wir sie immer auf Kosten anderer hegen.“

Czesław Miłosz

„Wenn der Schlüssel zur polnischen Poesie die kollektiven Erfahrungen der letzten Jahrzehnte sind, so hat Herbert diese wahrscheinlich am besten zum Ausdruck gebracht und verdient die Bezeichnung Lyriker der historischen Ironie. Er erreicht ein gewisses schwankendes Gleichgewicht, indem er den Leitbildern der Zivilisation trotz aller furchtbaren Katastrophen Bedeutungen beimisst.“

Seamus Heaney

„Herbert sucht immer, die offiziellen Versionen der kollektiven Erfahrungen zu durchdringen, um schließlich bis zu dem Kreis der Empfindungen und des Belastungsvermögens des Menschen zu gelangen. Er macht das, um zu erfahren, ob diese innere Festung des Menschen ein verriegeltes Loch voller Egoismus oder eher ein wachsamer Horchposten ist.“

## Martin Walser

\* 24. März 1927 in Wasserburg (Bodensee)  
 † 28. Juli 2023 in Überlingen

Martin Walser war ein deutscher Schriftsteller. Bekannt wurde er durch seine Darstellung innerer Konflikte der Antihelden in seinen Romanen und Erzählungen.



M A R T I N V S   V V A L S E R  
 S C R I P T O R   N O T V S   T H E O D I S C V S  
 V K A L .   S E X T I L E S   E V I T A   E G R E S S V S  
 A E T A T I S   X C V I  
 R . I . P .

M M X X I I I


Der bekannte deutsche Schriftsteller MARTIN WALSER  
 ist im Alter von 96 Jahren gestorben. Möge er in Frieden ruhen.

Ein immer wiederkehrendes Motiv Walsers ist das Scheitern am Leben: Seine Helden sind den Anforderungen, die ihre Mitmenschen an sie oder sie selbst an sich stellen, nicht gewachsen; der innere Konflikt, den sie deswegen mit sich austragen, findet sich in allen großen Walser-Romanen wieder. Dass die Kämpfe nur in der Seele seiner Helden brodeln, während die äußere Handlung meist Nebensache bleibt, macht Martin Walser zu einem typischen Vertreter der deutschen Nachkriegsliteratur (wie Heinrich Böll, Peter Handke oder Siegfried Lenz) und setzt ihn in Gegensatz zur angelsächsischen Literaturtradition, in der das Vorantreiben einer äußeren Handlung weit bedeutender ist.

*Quelle: Wikipedia*

## Otto von Bismarck

\* 1. April 1815 in Schönhausen (Elbe)  
 † 30. Juli 1898 in Friedrichsruh bei Aumühle



OTTO DE BISMARCK  
 CANCELLARIVS FERREVS  
 ANTE QVI NQVI ES VIGINTI QVINQVE ANNOS  
 III KAL. AVGUSTAS EXPIRAVIT

MMXXII

Der „Eiserne Kanzler“  
 OTTO VON BISMARCK  
 starb am 30. Juli vor 125 Jahren.

Otto von Bismarck war ein deutscher Politiker und Staatsmann. Von 1862 bis 1890 – mit einer kurzen Unterbrechung im Jahr 1873 – war er in Preußen Ministerpräsident, von 1867 bis 1871 zugleich Bundeskanzler des Norddeutschen Bundes. Von 1871 bis 1890 war er erster Reichskanzler des Deutschen Reiches, dessen Gründung er maßgeblich vorangetrieben hatte. Bismarck gilt als Vollender der deutschen Einigung und als Begründer des Sozialstaates der Moderne.

*Quelle: Wikipedia*

## Cornelis Johannes Jacobus Maria (Cees) Nooteboom

\* 31. Juli 1933 in Den Haag

Cees Nooteboom ist ein niederländischer Schriftsteller. Sein Werk umfasst Romane, Novellen, Reiseberichte und Gedichte; er war auch als Journalist und Literaturkritiker tätig.



CORNE LIVS NOOTEBOOM

DIV RNARIVS

S CRIPTOR VIATORIVS

C R I T I C V S

NARRATOR POETAQV E

ANTE TER TRIGINTA ANNOS NATVS

VIVAT VIR NONAGENARIVS

MMXXIII

Der Journalist, Reiseschriftsteller, (Literatur-)Kritiker, Erzähler und Dichter


**C E E S N O O T E B O O M feiert seinen 90. Geburtstag. Er lebe hoch!**

## Hans Ostwald

\* 31. Juli 1873 in Berlin

† 8. Februar 1940 in Berlin

Hans Ostwald war ein deutscher Journalist, Erzähler und Kulturhistoriker.



ΙΟΑΝΝΕΣ ΟΣΤΒΒΑΛΔ  
DIVRNARIVS TEVTONICVS  
SCRIPTOR STRENVV  
TRIGINTA LVSTRIS ANTE  
PRIDI E KAL. SEXTIL ES  
BEROLINI NATVS

ΜΜΧΧΙΙΙ

Der deutsche Journalist und tüchtige Schriftsteller HANS OSTWALD  
wurde am 31. Juli vor 150 Jahren in Berlin geboren.

Ostwald war der Sohn eines Schmieds und wuchs in Berlin und Stargard auf. Nach einer Lehre als Goldschmied arbeitete er nur für kurze Zeit in diesem Beruf, bis er 1893 arbeitslos wurde. Danach vagabundierte er als wandernder Handwerksbursche für ungefähr 18 Monate durch Deutschland. Über seine Erlebnisse im Landstreichermilieu führte er ein Tagebuch, das er später, ermuntert durch Felix Holländer, zu dem Roman *Vagabonden* (später unter: *Vagabunden. Ein autobiographischer Roman*) umarbeitete. Mit diesem „ersten und echten deutschen, halb autobiographischen Landstreicherroman“ (Ostwald) hatte er großen Erfolg, sodass er ab 1900 bis zu seinem Tod als freier Schriftsteller in Berlin leben konnte.

Hans Ostwald blieb seiner Absicht, „unsere Kultur von unten zu beleuchten“, in allen seinen folgenden Werken verpflichtet. So wurde er zu einem der produktivsten Chronisten der unteren sozialen Klassen und gesellschaftlichen Randgruppen der ersten Hälfte des 20. Jahrhunderts sowie zu einem der wichtigsten populärwissenschaftlichen Kulturhistoriker Berlins.

Bedeutend für die Schaffung eines eigenständigen sozialen deutschen Chansons war die Sammlung der *Lieder aus dem Rinnstein*, in der die Ausgestoßenen der Gesellschaft mit ihren meist anonymen Liedern zu Wort kamen. Hier wurden Sprachschichten für die Lyrik erschlossen, die bisher auch in den Volksliedersammlungen nicht vertreten waren.

## Alfred Manessier

\* 5. Dezember 1911 in Saint-Ouen an der Somme  
 † 1. August 1993 in Orléans

Alfred Manessier war ein französischer Maler. Er zählte in Frankreich zu den Meistern der Abstraktion. In der Nacht vom 31. Juli zum 1. August 1993 erlag er im Alter von 81 Jahren den Folgen eines Verkehrsunfalls.



A L F R E D V S M A N E S S I E R  
 P I C T O R F R A N C I C V S  
 A N T E Q V I N Q V I E S S E X A N N O S  
 K A L . S E X T I L I B V S  
 E X V I T A E G R E S S V S

M M X X I I I

Am 1. August vor 30 Jahren starb  
 der französische Maler  
**ALFRED MANESSIER.**

## Karl Hagemeister

\* 12. März 1848 in Werder (Havel)  
 † 5. August 1933 in Werder (Havel)

Karl Hagemeister war ein deutscher Maler, dessen eigenständiges Spätwerk gleichzeitig Elemente des Impressionismus und Expressionismus aufweist.



C A R O L V S H A G E M E I S T E R  
 P I C T O R P R A E S I G N I S  
 N O N A G I N T A A N N I S A N T E  
 D I E Q V I N T O S E X T I L I S  
 V I T A C E S S I T  
 A E T A T I S L X X X V

M M X X I I I

Am 5. August vor 90 Jahren starb  
 der ausgezeichnete Maler  
 K A R L H A G E M E I S T E R  
 im Alter von 85 Jahren.

## Marian Kudera

\* 5. August 1923 in Myslowitz, Oberschlesien  
 † 19. Juli 1944 in KZ Dachau hingerichtet

Marian Kudera war ein Widerstandskämpfer gegen das NS-Regime.

**M A R I A N V S   K V D E R A**  
**I V V E N I S**  
**C O N T R A   S O C I A L I S T A S   N A T I O N A L E S**  
**R E S I S T E N S**  
**V I G I N T I   L V S T R I S   A N T E**  
**N O N I S   S E X T I L I B V S**  
**I N   S V P E R I O R E   S I L E S I A   N A T V S**

M M X X I I I

MARIAN KUDERA,  
 ein junger Widerstandskämpfer gegen die Nationalsozialisten,  
 wurde am 5. August vor 100 Jahren  
 in Oberschlesien geboren.

Marian Kudera, der im Sinne der nationalsozialistischen Rassenkunde als volksdeutscher Pole galt, lebte als Medizinstudent in Innsbruck. Er wurde am 21. Februar 1944 von der Gestapo verhaftet, die in ihm den „Führer der polnischen Widerstandsbewegung“ sah. Während über die Tätigkeit dieser Widerstandsbewegung praktisch nichts bekannt ist, sind die Folterungen, denen Marian Kudera bei der Gestapo ausgeliefert war, detailliert nachweisbar. Da Kudera wegen der Überfüllung des Polizeigefängnisses im landesgerichtlichen Gefangenengehaus inhaftiert war, dokumentierte dessen Leiter Wilhelm Steneck die schweren Misshandlungen in mehreren Aktenvermerken und ließ ihn auch vom Anstaltsarzt, zugleich Amtsarzt in Innsbruck, untersuchen. Auch diese Befunde sind erhalten. Marian Kudera wurde schließlich am 28. April 1944 in das KZ Dachau überstellt, wo er am 19. Juli 1944 erhängt wurde.

Quelle: [Biographie: Marian Kudera : Der Eduard-Wallnöfer-Platz in Innsbruck \(eduard-wallnofer-platz.at\)](http://www.eduard-wallnofer-platz.at/biographie-marian-kudera.html)

## Walter Klingenbeck

\* 30. März 1924 in München

† 5. August 1943 in Stadelheim

Walter Klingenbeck war ein deutscher jugendlicher Widerstandskämpfer gegen den Nationalsozialismus.



**G V A L T H E R V S   K L I N G E N B E C K**  
**A D V L E S C E N S   C A T H O L I C V S**  
**C O N T R A   N A Z I O S   R E S I S T E N S**  
**O C T O G I N T A   A N N I S   A N T E**  
**D I E   Q VI N T O   S E X T I L I S   N E C A T V S**  
**A E T A T I S   X I X**  
**R . I . P .**

M M X X I I I

Vor 80 Jahren wurde WALTER KLINGENBECK,  
ein junger katholischer Nazi-Widerstandskämpfer,  
im Alter von 19 Jahren ermordet.

**Möge er in Frieden ruhen.**

**DIE 14 NOTHELFER, GEDENKTAG 8. AUGUST**

A<sup>C</sup>HATIVS C<sup>E</sup>NTVRIO A<sup>H</sup>OSTIBVS FIDEI T<sup>V</sup>RPIBV<sup>S</sup> VI<sup>N</sup>ECATVS EST  
AVXILIATOR CONTRA PAVORES MORTIS

AEGIDIVS NEGOTIATOR NOBILIS VIXIT ET ANACHORETA EVASIT  
AVXILIATOR CONTRA PERICVLVM IGNIS ET INSANIAS

BARBARA VIRGO BELLA SAPIDAQVE IN TVRRI CAPTIVA EST  
PATRONA AVRIFICVM ET AVXILIATRIX CONTRA FEBRES

BLASIVS LEONIBVS ATQVE TIGRIBVS TVITVS IN ANTEO LATVIT  
AVXILIATOR CONTRA DOLORES FAVCIVM

CHRISTOPHORVS PROCERAE STATVRAE ET VVLTV TERRIBILI FVIT  
PATRONVS PORTITORVM ET AVXILIATOR CONTRA ARIDITATES

CYRIACVS OPERARIVS SERVILIS LABORAVIT ET AEGROTOS IVVAVIT  
AVXILIATOR CONTRA DAEMONES ATQVE TENTATIONES

DIONYSIVS EPISCOPVS VENERABILIS LVETIAE NECATVS EST  
AVXILIATOR CONTRA VEXATIONES ANIMAE

ERASMVS PIVS EPISCOPVS PICE SVLPVREQVE TORQVETVS EST  
AVXILIATOR CONTRA DOLORES PARTVS

EVSTACHIVS VT IIOB ICTIBVS FORTVNAE CREBRIS PROBATVS EST  
PATRONVS SALVTARIORVM ET ADIVTOR CONTRA NEGOTIA VITAE

GEORGIVS FORTIS VICTOR DRACONIS HORRIBILIS VIRGINI AFFVIT  
PATRONVS EQVITVM ET AVXILIATOR CONTRA PESTILENTIAS

KATHARINA VIRGO CHRISTIANA DVLCIS DOCTAQVE FVIT  
AVXILIATRIX CONTRA AEGRITVDINES LINGVAE

MARGARETA VIRGO INSONS AB IVDICIBVS FALSIS CVPITA EST  
AVXILIATRIX CONTRA VVLNERA

PANTALEON INCONCVSSVS VIR FLAGELLATVS ATQVE CRVCIATVS EST  
AVXILIATOR CONTRA PLAGAS LOCVSTARVM

VITVS NVTTRICE CONVERSVS EST  
AVXILIATOR CONTRA DOLORES AVRIVM ET FVLGVRA  
MMXXIIII

**HAEC CHRONOGRAMMATA  
ARTIFICIOSE CONFECIT  
TOBIAS RÖSSLER**

# NONNULLA EMOLUMENTA ORBIS PICTI HEXAGLOTTI DE APIO

**apium, -ī n.**

250

*Stangensellerie – celery – céleri – apio - sedano*

*i.q. genus holerum, quod in horto colitur et cuius bulbus saepe comeditur.*



Apium est perquam multiplex et salubre. Aromate suo decenti sapida facit acetaria et saturas lances et embammata. In medicinâ populari maxima vis attribuitur bulbo apii vitaminoso, sed ceterae quoque plantae partes magni aestimantur. Cum prius inventum sit ferum, *Apium graveolens* hodie non iam invenitur nisi in hortis holerariis. Sed etiam in formam cultam redactum apium nihil perdidit virium medicinalium. Idem spectat ad familiam *Apiacearum* et originaliter fuit planta biennis. Novae varietates apii hodie iam primo autumno efformant bulbum maturum. Folia apii 30 ferê centimetra alta, quae sunt coloris obscurê viridia et compluries lobata, praecipuê adhibentur ad sorbitiones condiendas. Altero anno appetet umbella alba et hemisphaerica, in quâ maturescunt 1,5mm longi fructuli ovales. Quae substantiae insint apio praecipuae: - oleum aethericum (in fructulis maximê 3 %) - flavonoidea (e.g. apiinum) - furanocumarina (quae impediunt coagulationem) - vitamina (C: 8,25 mg/100g, E: 2,6 mg, gregis B: 0,35 mg) – substantiae minerales (kalium: 321 mg, calcium: 68 mg, phosphorus: 80 mg). Vires sanatrices bulbi: Iam antiqui Aegyptii, Romani, Indi magni aestimabant bulbum fortiter fragrantem medicamentum depurativum. In Germaniâ apium saeculo octavo p.Chr.n. in hortos monasteriales introductum est. In modernâ phytotherapiâ apium vix iam adhibetur, sed in medicinâ populari multo plus valet. Non adhibetur nisi intra corpus. Ad corpus sanandum adhibentur folia et bulbus et radices. In medicinâ naturali adhibentur sucus ex radicibus foliisque expressus necnon oleum aethericum ex bulbo partum. Bulbus salubris efficit his modis: diureticus – dehydrans et laxans – depurans – expectorans –

antidepressivus. - In Chinâ apium unâ cum spinaceâ, raphano, cucumeribus refertur in numerum victualium ipsius „Yin“, quae habent effectum frigidum vel frigidulum, quae statûs ipsius „Yang“ possunt compensare.

Etiam in Germaniâ in curationibus depurativis libenter combinantur sucus apii et raphani; tales mixturae dicuntur esse forti basicitate. Apio mitigantur molestiae corporales quae sunt: - perfriktio vesicae, rheuma et arthritis, hypertension, bronchitis, inquietudo, anxietas, lassatio cum depressione. Nonnulli homines utuntur aquâ, in quâ apium percoctum est, ad capillos eluendos, ut furfures evitent et radices capillorum corroborent.

## DE APPORTATORE AUREO

### **apportātor aureus**

177

**Golden Retriever – Golden retriever – golden retriever – golden retriever – golden retriever**

i.q. *conseminium caninum*



Apportator aureus est seminium caninum in Britanniâ generatum. Idem canis refertur in numerum seminiorum caninorum mediae magnitudinis et medio saeculo undevicesimo in Britanniâ generatus est ad venandum, ut aves aquaticas, velut anates, sclopeto ictas apportaret integras. Propter indolem suam lenem atque mitem apportator aureus praeter usum sui venaticum etiam adhibetur ad caecos ducendos et ad indagandum et investigandum et servandum. Desiderio possessori placendi, quo hic canis insigniter praeditus est, apportator aureus ubique terrarum factus est unum ex caninis seminiis familiaribus gratissimis. - **Origo et historia huius seminii.** De initiis feturæ et maioribus hodierni apportatoris aurei diu pauca tantum nôta erant; usque ad a.1959 cynologi adhuc pro certo habebant hoc seminium caninum oriundum esse ex russicis canibus circensibus, quos *Dudley Marjoribanks*, primus *Baro Tweedmouth* in Angliâ emisset et in *Guisachan* in Scotiâ situm secum attulisset. Ibidem hic Baro Scotus in libro quodam feturæ multa methodica de feturâ canum notaverat; eadem notata a.1913 a *Coetu Kenneliano* decem annis post publicê

comprobata sunt et a.1952 reperta et decem annis post eidem Coetui denuo sunt proposita et hodie in grapheo Londinensi conduntur.

Secundum notas suas *Marjoribanks* a.1864 apportatorem suum flavâ pelle undulatâ praeditam, quem vocabat „*Nous*“, commiscebatur cum cane „*Belle*“, qui erat particeps seminii hodie exstincti, cui nomen fuit *Tweed Water Spaniel*. Usque ad a.1890 hanc lineam perrexit propagare eo quod commiscebatur cum altero cane seminii *Tweed Water-Spaniel*, cum duobus apportatoribus nigris et Hibernico rubro *Setter*. Deinde Marjoribanks desiit notare et 4 annis post mortuus est. Itaque Coetus Kennelianus Britannicus adhuc librum feturae administrat apportatoris aurei. Hoc seminium praecipue in Angliâ et Civitatibus Unitis et in Canadâ celeriter pervenit in claritudinem et consuetudinem et favorem publicum, annis nonagenariis saeculi proximi etiam in Germaniâ, praesertim eo quod saepe monstratum est in praeconatione televisionis mercatoriâ necnon in cinematibus. Hodie apportator aureus in regionibus germanophonis, sed etiam in Scandinaviâ, Belgio, Bataviâ, Luxemburgo, Francogallia, Canada, Civitatibus Unitis refertur in numerum canum gratissimorum atque frequentissimorum. -

## DE ARACHIDE

**arachis**, -idis f.

252

*Erdnuss – peanut – arachide – cacahuete - arachide*

**TESTIMONIA.** Gerhard Ahrens, Medizinisches und naturwissenschaftliches Latein mit latinisiertem griechischem Wortschatz. 1.Aufl., Leipzig 1988, p.118, §347: “arâchis, arâchidis f. die Erdnuß”. - Ahrens, op.mem., p.200,§582: “Oleum Arachidis hydrogenatum gehärtetes Erdnußöl”. - cfr nomina systematica: Marava arachidis (2. G.sg.): entomol. -

**ETYMON.** <https://www.merriam-webster.com/dictionary/arachis>: “borrowed from New Latin (Linnaeus), probably derived from the presumed base of Latin *arachidna*, *arachidnē*, the geocarpic legume *Lathyrus amphicarpos*, borrowed from Greek *aráchidna*, of non-Indo-European origin”. <https://en.wiktionary.org/wiki/Arachis>: “Coined by Linnaeus as an alteration of Ancient Greek ἄραχος (árakhos), an alternative form of ἄρακος (árakos, “chickling vetch”). - cfr Rudolf Schubert/Günther Wagner, Pflanzennamen und botanische Fachwörter, Darmstadt, 8.ed., a.1984, p.95: “Árachis, f., Gatt. der Fabaceae (bei Plinius Name für eine Pflanze mit unterirdischen Früchten, z.B. Vicia- oder Lathyrus-Art, von Linne 1754 auf die Gatt. übertragen) – Erdnuß.”

**PROSODIA.** Ahrens: paenultima longa? Aliter Schubert/Wagner: antepaeultima acuitur: “Árachis”.



*i.q. planta tropica et subtropica familiae Fabacearum sive Leguminosarum, fructus subterraneus, parietes fructūs crassi, superficie reticulatā. Semina 1-2 cm longa, diametri 0,5-1 cm, paene ovale, lucidē fuscum. 2 cotyledones oleosae. Fructūs maturescunt inter mensem Iulium et Septembrem. Patria arachidum originalis fuerunt Montes Andes austroamericanī, sed hodie colitur haec planta in omnibus terris tropicis et subtropicis.*



**ECCE ARACHIDIS FRUTEX ET FLORES ET FRUCTŪS SUBTERRANEI**

## DE ARANEO DIADEMATO

### **arāneus diadēmātus**


147

Kreuzspinne – garden spider – épeire – epeira – epeira



*Araneus diadematus* est species generis *Aranei* in Europâ mediâ frequentissima. Haec species fuit *aranea anni 2010*. Eadem facile agnoscitur maculis lucidis in formam crucis compositis. Hae maculae inveniuntur in latere corporis posterioris et compositae sunt ex quattuor maculis longitudinalibus et parvâ et circulari in medio positâ. Color huius araneae fundamentalis est valdê variabilis. Eadem potest colorem proprium et luminositatem accommodare ad circumiecta. *Araneus diadematus* est una ex araneis patriae nostrae maximis. Feminae longitudine sunt maximâ 18 millimetrorum, mares ferê 10 millimetrorum. - In plâgâ liberâ araneus diadematus saepe invenitur in pratis pomariis; in silvis pinuum, uliginibus altis, silvis fagorum abietumque, marginibus silvarum, saepimentis aliquanto rarius, ceteroquin continuo, sed raro in pratis, agris, hortis. In terrâ planâ idem araneus invenitur in stratis fruticum et culminum arborum. Quo altiora circumiecta, eo rarer est *Araneus diadematus*. - Tales aranei se nutriunt omnibus insectis, quae telis suis capere possunt. Etiam insecta maiora, qualia sunt *vespae*, *bombylii*, *apes*, *muscae*, *papiliones*, immo *crabrones* possunt fieri praeda *Aranei diademati*. Praeda telâ capta ab araneo mordetur et taeniâ suci ex glandulis netoriis secreti circumvolvitur. Dum hoc fit, araneus praedam pedibus suis celeriter torquetur. Enzymis digestoriis morsu editis interiora praedae dissolvuntur. Deinde *Araneus saturatus* praedam nendo involvitur et telae impendit, ut sit sibi penus. - Mense Augusto incipit tempus copulandi; mares post coitum saepe a feminis maioribus deglutiuntur. Mares telae a feminâ netae annectunt filum petitionis idque pedibus leviter attingentes commovent. Femina marem agnoscit filo commoto. Si femina parata est ad venerem exsequendam, telae parte mediâ relictâ se confert ad marem. Coitus fit per paucas secundas et plerumque pluries repetitur. Autumno femina in cucullis flaveolis ex filis subtilissimis netis ova parit et moritur. Ova in cucullo perhiemant, araneoli excluduntur mense Aprili Maiove, eaedem iterum perhiemant et proximo demum anno pubescunt. - *Aranei didemati* morsu suo cutem humanam pervadere non possunt nisi locis tenuissimis.

Morsus homini est iniucundus, sed non periculosus. - In homoeopathiâ idem araneus sub nomine *Araneae diadematae* integer pertractatur. Sed nondum demonstratus est effectus medicinalis. Interdum relatum est de mirabili curatione doloris, quae effecta esset medicamentis araneo diademato confectis. - Vespa, quae appellatur ***Tromatobia ovipara***, parasitatur cum aliis in insectis tum in Araneo diademato. Larvae *Tromatobiae oviparae* exclusae se nutriunt ôvis aranei.



Contextio telae rotariae.

## DE ARGYRONETA

**\*argyróneta, -ae f.**

147

**Wasserspinne – water spider – argyronète – araña de agua – ragno acquatico**

ETYMON. ἄργυρος *argentum* + νητός, νέω (*néō, nēre*)

**Argyroneta aquatica** est unica species aranearum, quae non vivit in terrâ, sed sub aquâ. Haec aranea habitat ab Insulis Britannicis in occidente usque ad Iaponiam in oriente. Tales bestiae praeferrunt lacûs puros aut aquas lentê fluentes. Quia bonitas aquae multis locis stercore liquido et venenis pesticidalibus deminuitur, *argyroneta* rarescit et in Indice Rubro specierum periclitantium spectat ad categoriam specierum “vehementer periclitantium”. Mas in toto ferê corpore est coloris sabulini, i.e. fusco-flavi, in pedibus inferioribus potius obscurê-rubri. Femina est fusci coloris. -



Biotopus subaquaneus, qui araneae est insolitus, ab argyronetâ eo comparatur, quod aëra respiratorium sibi necessarium colligit sub telâ densâ netâ in zonâ ripae. Ut aëra hauriat, aranea pedes posteriores et corporis posterioris partem ex aquâ protendit et ictu corpus submergens integrum secum deorsum fert bullam aëream, quae inter pilos et pedes adhaeret et corpus posterius colore argenteo splendens circumcludit. Ex filo signalis pendens argyroneta se trahit ad horreolum aëris ibique bullam aeream in campanam urinatoriam (quae appellatur ‘branchia physicalis’) destringit. Hoc in horreolo aëreo magna pars vitae huius araneae degitur. Diffusione oxygenium exemptum partim substituitur. - Dum argyroneta venatur animalcula aquatica, qualia sunt amphipoda et aselli aquatichi, confidit filis signalis, quae prope ad habitaculum tetendit, et quae cum eodem coniuncta sunt. Si quod filum indicat motiunculam, aranea rapidissime secundum filum ad praedam properat eamque occidit morsu venenoso. Deinde praedam in habitaculum trahit ibique exsugit. Mas 1,0-1,5cm longus paulo tantum maior est quam femina (0,8-1,5cm). - Post coitum femino non devorat marem – ut saepe falso contenditur – sed ambo postea aliquamdiu convivunt. - Propter modum suum vivendi extraordinarium et propter periculum extirpationis huius speciei imminens argyroneta a.2000 prima species est electa “aranea anni”. - Species fossiles (hodie extinctae) huius generis sunt *Argyroneta antiqua* et *Argyroneta longipes*. -

## DE ARMORACIO

**armoracium, -ī n.**

251

*Meerrettich – horseradish – raifort – rábano blanco – barbaforте*



**TESTIMONIA.** ThLL 02.,621,82-622,12: **armoracia vel -ea, -ae f. vel armoracium**, i n., ἄρμορακία *herba*, PLIN.nat.19,82 *raphani* genus unum silvestre, Graeci cerain vocant, Pontici armon, alii leucen, nostri armoraciām, fronde copiosius quam corpore. 20,22 raphanum et silvestrem esse diximus: laudatissimus (-um *codd.*) in Arcadia, quamquam et alibi nascitur, utilior urinae dumtaxat cienda, cetero aestuosus, in Italia et [m]armoraciām vocant. ISID.orig.17,10,20 armoracia, id est lapsana. GLOSS. armoracia ράφανιδες; radistria (*i. rapistria*) lapsana et varia (*formae vulgares vel corruptae* aromatia arintracia arintracis). *It.* ramolaccio, *M.-L.J CELS.* 4,16 armoracia (*f.sing. an n.pl.?*). COLUM.6,17,8 sucus armoraciæ. 9,4,5 vulgares lapsanae nec his pretiosior armoracia rapistique holus. 12,9,3 armoraciōrum cymam. PLIN.nat.1 ind.20 armoracia. GARG.MART.med.32 armoraciæ virtus. PALLAD.4,9,5 armoracea *sing.* 11,11,4 armoraceam. VEG.mul.4,23,2 armoraciām. *V.*

**Jacques André**, Les noms de plantes dans la Rome antique. Paris 1985, p.25: „**armoracea** (-cia);-ae f. et **-ciūm**, -i n. (emoracium Diosc.2,96); nom latin de la plante selon Pline et Diosc.; étymologie inconnue, cf. *armon*? Depuis Celse; R.E.W. 660: *Ravenelle, Radis sauvage* (probablement *Raphanus landia Moretti*) Celse 4,16,2; Col.6,17,8; Pline,19.82; 20,22; Pallad.4,9,5.“

**Armoracia rusticana** est species plantarum familiae *Brassicacearum*. Radix huius plantae comeditur cruda aut cocta, est condimentum aut medicamentum. - **Notae vegetativae.** Armoracia perennis planta herbacea assequitur altitudines 50-120 centimetrorum, interdum etiam 2 metrorum. Haec planta hiemis patiens frigus tolerat -50°C (minus quinquaginta gradum Celsianorum). Organum hibernandi armoraciæ est radix palaris verticalis, cylindracea, quae habet longitudinem 30-40cm et diametrum 4-5cm. Bonis sub condicionibus, i.e. si humus est leviter perradicabili (uligo, harena), radix palaris assequitur longitudinem 60cm. Versus stipitem radix est multiceps et in fine est ramosa multis radicibus lateralibus et fibris radicalibus. Radix irregulariter sulcata extrinsecus est sordidi coloris flavi-fusci, sed intra est alba et aliquatenus fibrosa. - Omnes partes plantae sunt glabrae. Folia basalia ad stipitem distributa divisa sunt in petiolum et laminam. Petiolus in basi semper insigniter dilatatus in foliis basalibus potest habere longitudinem 60cm, sed in foliis superioribus perbrevis est. Lamina folii plerumque simplex, raro pinnatipartita est in foliis basalibus ovati-lanceolata et in foliis superioribus linealiter lanceolata. Lamina folii plerumque est 20-45 (10-60) cm longa et 5-12 (3-17) centimeta lata. Margo foliorum basaliū est insigniter crenatus et paulum undatus aut crispus, margo

inferiorum foliorum stipitis perquam crassê crenatus, superiorum paene laevis. Laminae foliorum habent nervos fortiter prominentes. Folia stipitis sunt infra breviter partita, saepe pinnatifida et integra. -



**Notae generativae.** Tempore vernali formari incipiunt inflorescentiae; armoraciae florent a medio mense Maio usque ad Iulium. Scapi inflorescentiarum rotundi assequuntur altitudines 1,20 metrorum. Inflorescentia racemosa est diametro summum 40 centimetrorum. Nulla sunt hypsophylla. - Flores fragrant fortiter. Flores androgyni sunt tetrameri et habent perianthium duplex. 4 sepala longitudine sunt 2-4mm, longitudinalia, fine superiore obtuso. 4 alba petala longitudine sunt plerumque 5-7mm, maxime 8mm, i.e. altero tanto longiora quam sepala et unguis 1,5mm longis instructa. Inter filamenta sunt sex glandulae, duae in latere in basi brevium et singula inter filamenta longa et calicem. Adsunt 6 stamna filamentis 1-2,5mm longis et antheris 0,5-0,8mm longis. Stylus non est visibilis aut, si maximus, 0,5mm longus. Stigma est semiglobosum et supra sulcatum. Pedunculi florum et fructuum crescunt usque ad maturitatem fructuum, quam assecuti habent longitudinem 8-20mm. Siliqua non semper fit integra; quae est 4-6mm longa. In omni loculamento siliquae sunt aut nulla aut quattuor aut (raro) sex semina. Semina videntur esse compressa et ovata, colore fusco et paene laevi. - **Stupenda nominis systematici variatio.** Haec species a.1753 a **Carolo Linneo** sub nomine, q.e. **Cochlearia armoracia** in opere, quod inscribitur **Species Plantarum**, Tomus II, p. 648 primum est publicata. A.1800 stellten Gottfried Gaertner, Bernhard Meyer, Johannes Scherbius in opere, q.i. **Oekonomisch-Technische Flora der Wetterau**, novum genus constituerunt, q.e. **Armoracia**, et loco nominis prioris posuerunt nomen, quod hodie valet: **Armoracia rusticana G.Gaertn., B.Mey. & Scherb.** At varii auctores hanc speciem variis generibus attribuerunt: **Armoracia rusticana** Baumg. - **Cochlearia rusticana** Lam., **Cochlearia variifolia** Salisb., **Raphanis magna** Moench, **Armoracia lapathifolia** Gilib., **Armoracia sativa** Bernh., **Nasturtium armoracia** (L.) Fries, **Rorippa armoracia** (L.) Hitchc., **Rorippa rusticana** (G.Gaertner et al.) Godron. -



**Culinaria.** Radix armoraciae, nisi pertractatur, odoris expers est. Si insecatur aut disteritur, odorem efflat acrem et lacrimas excitantem. Hic odor efficitur substantia, quae a biochemicalis appellatur *isothiocyanas allylicus* et cellulis radicis armoraciae violatis effectu enzymi oritur ex *sinigrino*. Antequam piper in Germaniâ facile accepti sunt, armoracia et sinapis fuerant unica condimenta saporis acris in coquina ideoque saepe adhibebantur.



Si radix siccatur aut percoquitur, oleum suum volatile ideoque etiam saporem acrem maximam partem amittit. - A.1597 **John Gerard Britannus** rettulit *armoraciam pistam, cui aliquantulum aceti immisceretur, Germanis cibos piscinos et alios comedentibus, quos compatriotae sui solerent comedere sinapi conditos, gratissimam esse*. Hodie armoracium in Germaniâ apponitur e.g. unâ cum pisce fumigato, carne acida, bubula assa, perna, botellis Francofurtanis. Lac concretum armoraciâ conditum libenter quadrae panis allinitur. Saepe armoracia cum cramo lactis commixta apponitur (armoracia cramata). In officinis industrialibus armoracia una cum granis sinapis pertractatur in pulverem vasabianum, qui adhibetur loco verae vasabiae iaponicae, cum sit vilior, sed tamen non expers saporis aromatici. Alia genera armoraciae parandae sunt sinapis armoraciae et armoracia cramata uvarum idaeorum, quae adhibetur ad carnem ferinam condiendam, et armoracia mâtina (*Apfelmren*), quae specialiter in regionibus Bavariae Austriaeque magni aestimatur carni bubulae coctae addita; item licet dicere de armoraciâ similarum (*Semmelkren*). Armoracia cramata etiam quadrat ad piscem percoctum. Armoracia non solum adhibetur cruda, sed etiam cocta. In Franconiâ, Hassiâ, Palatinatu, Lusatiâ in indice ciborum cauponarum praebetur embamma armoraciae carni bubulae coctae addendum. - Etiam radices laterales et germina viridia vernalia armoraciae possunt adhiberi ad usum culinarem. Germina in sartagine leviter assantur, radices laterales in orbiculos assantur, aquâ fervidâ infunduntur, per decem minutus exspectatur, deinde licet bibere theam armoracinam.

**Pharmaceutica.** Hodie armoracia adhibetur ad vires resistendi augendas et homines contra perfictionem protegendos. Armoracia enim continet permultum vitamini C. *Radix armoraciae*, quae in pharmacopoliis prostat venalis, inest remediis influentiae et infectionum viae urinariae. Quae excitat circuitum sanguinis, solvit tussim;

fomentum, quod continet pultem armoraciae, adhibetur ad rheuma, arthritidem, ictus insectorum, dolores ischiadis aliosque nervorum dolores curandos. Etiam ad dolores capitis impugnandos armoracia utilis esse dicitur. Si paulum fragrantiae armoraciae distritae respiratur, leviores convulsiones solvi possunt. - Armoracia dicitur etiam efficere, ut perturbationes stomachi atque intestini solvantur et bilis excretio fiat levius. Praeterea armoracia continet substantias antibioticas et canceroprophylacticas. Quae sunt substantiae sulphur continentis, quae inveniuntur etiam in allio (e.g. alicinum, sinigrinum) et quibus armoracia fit condimentum saluberrimum. - Scientistae demonstraverunt olea armoraciae sinapina effectum habere antimicrobiale. Oleum aethericum continet oleum oleum sinapinum allylicum (circiter 90%). Pro dosi armoracia effectum habet bacteriostaticum vel bacteriocidalem. Ad oleum sinapinum fabricandum non frutex armoraciae adhibetur, sed tantummodo radices subterraneae carnosae.

**Supersticio.** Armoracia si geritur pro amuleto, dicitur vires habere sanatrices. Prius infantes ruri saepius gerebant torquem, quae constabat ex orbiculis radicis armoraciae. Si orbiculus crudae armoraceae imponitur marsupio, idem creditur numquam evanescere.

## DE ARMARIO FRIGIDARIO

### **armārium frigidārium**

290,292,296,377

**Kühlschrank – refrigerator – réfrigérateur – frigorifero – frigorifero**

TESTIMONIUM. Caelestis Eichenseer, Latinitas Viva, Pars lexicalis, ed.secunda, Saraviponti – Saarbrücken 1982, p.16, 33): „(armārium) frigidārium, -i n. frigorifero; refrigeratora; réfrigérateur; refrigerator; Kühlschrank; - sitarchia gelufica f.“ (Hoc nomen in appendice eiusdem operis Hasso Geissler commendat ad arcam gelatoriam nuncupandam: Eichenseer, op.mem., p.350: „ad...16,35: „Pro ‚arca gelatoria‘ aptius dici potest ,sitarchia gelufica‘.“



**Armarium frigidarium** est receptaculum machinā refrigeratoriā instructum armario simile, quod solet adhiberi ad victualia servanda. Eius machina refrigeratoria plerumque est electrica. Aggregato refrigeratorio, quod saepe est lateri postico affixum et thermostato regulatur, spatium armarii frigidarii internum eo refrigeratur, quod calor abducitur in circumiecta. Item sunt armaria frigidaria, quae utantur frigore evaporationis aut temperaturis externis inferioribus. - Armaria frigidaria adhibentur ad servanda victualia, medicamenta, chemicalia etc. Temperaturā inferiore reactiones


chemicae et processus biologici, quibus e.g. victualia extra armarium frigidarium fiunt inedibilia et medicamenta fiunt inefficacia, lentius procedunt. - Temperatura armriorum frigidiorum typica est inter 2°C et 8°C (duos et octo gradūs Celsianos). Capsa loculamentorum refrigerandi est contra calorem protecta, ne sumptus energiae ad frigus servandum sit nimis magnus. Armarium frigidarium efficit magnam partem sumptūs fluenti electrici domestici. -

**Methodi refrigerandi merē physicales.** - Aetate antiquā glacies e montibus allata in hypogeis profundis (hypogea glacialia) adhibebatur ad victualia refrigeranda. A.1748 **Vilelmus Cullen** in Universitate Glascensi monstravit primam refrigerationem artificialem. Ratio refrigerandi technica multo melior facta est eo quod a.1859 **Ferdinand Carré** usus est **ammoniaco**. Usque ad a.1920 etiam adhibebantur lignea armaria glacialia, quae erant completa glacie e fabricā aut stagno allatā (et in hypgeo sub serragine conditā). Eadem armaria intra continebant vas, quod confectum est ex laminā zinceā ferruminatā. Supra impletur glacies (aut diffracta aut solida, e.g. stiriae glaciales), infra colligitur a destillans.

In parte mediā est cella glacie circumdata, quā recipitur res refrigeranda loculamentis marmoreis et foriculā concluditur. *Graecii* in urbe Austriae inscriptiones, q.s. *Eisteichgasse* (i.e. Angiportum statgni glacialis) et *Am Eisbach* (Ad rivum glaciale) in memoriam revocant hoc genus glaciei comparandae hiemale. In *Vallorbe* glacies

ex *Lacu de Joux* exsecta tramine ferriviariâ transportabatur ad Parisios, ex oppido *Zell am See* glacies ad bracinas Germaniae. Ex Alascâ glacies navibus transportabatur in Californiam. - A.1876 ***Carolus de Linde***, Germanus ingenarius atque negotiator methodum Lindeanam, quae in scientiis et technica vehementer valet. Inventione Lindeana subtilitas compressaculi totiusque machinae geluficæ tanta facta est, ut eaedem aptae essent ad productionem industrialem. Nunc glacies aquaria fabreicari potuit quotannis ratione industriali; non iam necessaria fuit glacies naturalis. Etiam Caroli apparatus primus operatus est adhuc ammoniaco. Quae substantia est venenosa et caustica neque solum efficiebat rimas, e quibus liquor effluebat, sed etiam odorem malum; itaque armaria frigidaria annis vicenariis demum saeculi vicesimi, quibus alia chemicalia apta inventa sunt, adhiberi potuerunt ad usum domesticum. Annis tricenariis armarium frigidarium in Civitatibus Unitis et in Cubâ factum est instrumentum domorum privatarum generaliter consuetum et solitum; iam a.1937 dimidia ferê pars habitaculorum habuit armarium frigidarium. - **Electrica armaria frigidaria.** Primum armarium frigidarium europaeum a.1929 a fabricâ *Rasmussenii* Zschopauensi est fabricatum. Fluento electrico et armario frigidario divulgato instrumentum vetustius, i.e. armarium glaciale non-electricum, attractivitate orbatum est. - Priora armaria frigidaria operabantur methano chlorico (chloridum methylicum,  $\text{CH}_3\text{Cl}$ ), ammoniaco aut sulpure dioxydato; his gasis effecta sunt problemata, qualia fuerunt conditio partium mobilium compressaculi et periculum gasa venenosa emittendi, si quae rimae oriuntur. Ex a.1930 hydrocarbonea fluorica (*FCKW*) technicē possunt fabricari et adhiberi ad subsidia et machinas refrigerandi. Iisdem adhibitis contigit, ut problemata supra dicta evitarentur. Annis octogenariis saeculi vicesimi supra polum antarcticum inventum est ***foramen ozonticum*** et contigit, ut scientifica ratione demonstraretur hydrocarboneis fluoricis destrui ***stratum ozonticum***. Protocollo Regiomontano civitates subscriptentes se obligaverunt se non iam adhibituras esse hydrocarbonea fluorica. Armaria frigidaria in habitaculis privatis adhibenda ex annis vicenariis offerebantur, sed propter pretium enorme primo non valdē divulgabantur. In Imperio Tertio a praeconatione propaganda annuntiatum erat armarium frigidarium populare, quod tam vile futurum esset, ut plebe posset emi; sed effectu belli hoc instrumentum annuntiatum numquam ratione industriali seriatim productum est. Ex a.1950 miraculo oeconomico oriente armaria frigidaria in omnibus ferê habitaculis privatis Rei Publicae foederalis Germaniae armaria frigidaria divulgata sunt, quae constabant ex loculamentis frigorificis et geluficis. Annis sexagenariis procedentibus etiam in consuetudinem venerunt arcae geluficæ.

# ANATOMIA DICTATORIS (I)



**ADOLF HITLER (1889-1945)**

*Scripsit Professor Dr. Percy Ernst Schramm (1894-1970)*

*Latinē reddidit Leo Latinus*

Titulus originalis: „Anatomie eines Diktators“

28.01.1964, 13.00 Uhr • [DER SPIEGEL 5/1964 <https://www.spiegel.de/politik/adolf-hitler-anatomie-eines-diktators-a-0bfcc2cec-0002-0001-0000-000046162899>](https://www.spiegel.de/politik/adolf-hitler-anatomie-eines-diktators-a-0bfcc2cec-0002-0001-0000-000046162899)

Proficiscimur a rebus factis<sup>1</sup>:

**Hitler** hominibus admirationem iniciebat oculis suis »acriter caeruleis«<sup>2</sup>, semper iam leviter emissiciis et »fulgentibus«, quibus multi visitatores non poterant resistere. Hitler huius effectūs conscius solebat diu in hominum oculos intuitus palpebras lentē tantum demittere. In bello eius oculi antea valdē acres paulatim fiebant presbyopes. Itaque Hitler coactus est, ut mappas geographicas perquirens uteretur perspicillo – providebatur huic rei celandae; tamen sunt photographemata, in quibus Hitler apparuit perspicillo instructus. Ut idem documenta facilius legere posset, ad ea scribenda, quae ipse cognoscere debebat, adhibebantur speciales machinae scriptoriae »typo Ducis«, id est litteris elongatis instructae, quae altero tanto maiores erant quam usitatae.

Hitler oculos suos tantopere cohibebat, ut ioci causā distorqueret imitans strabonem. Auribus erat tam acutis, ut sono cognosceret homines gradientes.



1 orig.: „Wir gehen von den Fakten aus“.

2 orig.: „knallblau“. Num Latinus dicendum est: *fortiter sive vehementer caeruleum?* cfr DUDEN, Das große Wörterbuch der deutschen Sprache, Band 4: Hex-Lef, 2.Auflage, Mannheim/Leipzig/Wien/Zürich 1994, p.1891, s.v. knallblau: „(Adj.) (ugs.): *kräftig, knallig blau; grellblau*: ein knallblauer Himmel; mit knallblauen Augen und windgeröteten Wangen (Erné, Fahrgäste 100)“. - cfr <https://www.dwds.de/wb/knallblau>: „...umgangssprachlich: intensiv, leuchtend blau. Beispiele: Grob zusammengefasst gab es [auf der Mailänder Modenschau] drei Stilrichtungen. [...] Drittens die Neon-Outfits: knallblaue Latzhose zu sonnengelbem Fellmantel und giftgrünem Schlapphut. [Der Spiegel, 27.02.2015 (online)] Blaufußtölpel wollen [die Weibchen] über möglichst knallblau gefärbte Füße überzeugen, unter Mützenrobben-Männchen dagegen gilt ein roter Hautballon als Qualitätsmerkmal. [Süddeutsche Zeitung, 08.12.2017]

Draußen scheint die Sonne, der Himmel ist knallblau, der Dreimillimeterrasen glänzt knallgrün, das ist so ein Tag heute, von dem die Leute gerne sagen, dass er einfach herrlich ist, obwohl alles aussieht wie frisch vergiftet mit künstlichen Farbstoffen. [Die Welt, 12.12.2015] Auf dem kleinen Schreibtisch liegt eine Ansichtskarte, gelber Strand an knallblauem Meer, und ein Brief. [Berliner Zeitung, 20.05.1973] Eine Kommode [in einer Ausstellung] hat vier Türen, knallblau, eigelb, giftgrün und rot. [Berliner Zeitung, 19.09.1954]...“



**Photographema rarissimum: Hitler perspicillo instructus**

Nasus autem Hitleri erat foedus; qui similis erat »pyramidi«. Aspectus narium magnarum latarumque iniucundus mitigabatur subio resecto.

Eius ôs erat relativê parvum, maxilla haud valdê robusta. Labia videbantur angusta et compressa. Fronte erat altâ, haud prominenti, quia cincinno obtegebatur. Palpebrae insignes erant ciliorum tenuitate; e contrario supercilia erant grandia, et supra eadem tori erant efformati. Regio iugalis erat lata, par aurium bene formatum.

Cutis Hitleri facialis erat teneritate paene puellari; cum esset sôlis et lucis impatiens, salubrius eidem fuisse gerere perspicillum solarium, quod non faciebat; si quod lumen ei erat nimis acre, manum oculis obtendebat. Etiam calor et ventus favonius ei erant molesti. Hitleri capilli aequaliter canescebant, - idem non factus est calvaster. Eius barba haud densa erat; ipse se rasitabat, raro errans ut cutem insecaret. Dentes quamvis diligenter culti erant mali, et in magni eorum numeri locum suppositi erant



**Hitler cum cane suâ pastorali quam vocabat *Blondi* (+30.04.1945)**

ponticuli. Hitler istius incommodi conscius, quandocumque ridebat, manum faciei obtendebat. Caput toti corpori praevalebat; truncus, bracchia, crura videbantur quadamtenus ex eo pendere. Bracchia Hitler negligenter sinebat decidere, sed manus non imponebat sacculis bracarum. Eius crura non erant robusta. Primo calces solo imponebat et genua perprimens progrediebatur satis celeriter. Si quid eius animum tenebat, pede constabat. Cum Hitler animadvertisset se facile crassescere, hoc sibi tam odiosum fuit, ut parcias se nutriret. Hitler munditiâ cum esset exquisitâ, saepe manus lavabat. Vestimenta saepe mutabat et irrigoriâ loquebatur de hospitibus, qui vestimentis sordidis erant induti. Cottidie balneabat, interdum pluries. Postquam comedit, os eluebat; magni faciebat oppexum bonum et sub dio utebatur chirothecis.



**Hitler cum parvulis versans ante villam suam alpinam, cui nomen erat *Berghof*.**

At numquam se vestivit eleganter: Iacca enim circumclusus est tamquam sacco, eius bracae erant parum astrictae, amiculum, ne coartaretur, gerebat nimis laxê. Mitellam in imam frontem protrahebat. Perseveravit in formâ mitellae obsoletae; sed clam adiuvae ei comparaverunt novas, altiores necnon formâ »magis attractivâ«. Si Hitler eligebat vestimenta civilia, syntheses vestium gerebat biseriales, quae semper erant eiusdem secturae. Eius focalia eligebantur ab *Eva Braun*; oportebat eadem ne nimis essent conspicua, id est colore lento et mitigato.

Si induebat vestem factionis uniformem, a cingulo gerendo abstinebat. Eius caligae altae soleis duplicibus instructae ex corio crasso mollique confectae in superiore parte erant satis ineleganter constrictae. Bracae eius equestres ita erant sectae, ut in genibus essent molles. Puto ipsos eius assetatores sensisse »Ducem« suum quoad vestem uniformem a multis eorum valdê superari.

Utilissimum Hitlero erat desiderium dormiendi moderatissimum. Hoc ipse explicabat eo quod sibi primo bello mundano munus militis nuntii gerenti diei noctisque differentiam permutatam esse. Tempore pugnandi demum post orationes suas habitas comederat ideoque sero demum cubitum ierat, et in bello quia solebat etiam cognoscere nuntios circa medium noctem demum acceptos, etiam tunc sero demum in lecto se collocabat. Ex alterâ parte nova condicio non erat explorata ante meridiem; antea nullas res solebat dijudicare. Hitler dormiebat usque ad sérum mâne. Meridiatio autem ei displicebat.



**Hitler ad lacum “Würmsee” versans unâ cum Angelâ (1908-31, a sinistris) et Elfridâ Raubal (1910-93), quae ei fuerunt neptes e semisorore.**

Cum esset memoriâ tenaci, solitâ maior erat Hitleri facultas homines recognoscendi. Eius reactiones mentales rapidê fiebant ideoque Hitler animo praesenti sciebat se accommodare ad res inexspectatas. Îdem ipse se habuit pro homine rationis participe, cui praeter eam licebat confidere instinctu. Graviora quae sibi erant diiudicanda, Hitler solebat in mente huc illuc revolvore; in re autem definitê diiudicandâ confidebat eo quod appellabat »instinctum« - quem sentiebat esse: politicam sagacitatem. In rebus levioribus si ratione nescivit diiudicare, utebatur viâ vetere, quâ se accommodabat ad monetae sursum iactae faciem superiorem: utrum eadem esset »caput« an »insigne heraldicum«. At a superstitione prorsus alienus erat.

Hitler putabat se maximê valere facultate problemata intricata simpliciora reddendi et consequenti cogitatione tractandi ...

Hitler si quid consilii ceperat, difficile erat efficere, ut ab eodem desisteret, quia timebat ne hôc modo auctoritas sua deminueretur. At interdum etiam praerapidê agebat non curans, quod faciebat contrarium opinioni sua priori. Quod attinet ad Hitleri modum loquendi, îdem, quando privatim verba faciebat, praeter exspectationem multa verba retinebat, quae sibi consueta erant decenniis iuventutis sua accepta. Hoc adhuc dilucidê appareat ex eius »Sermonibus Mensalibus« (qui facti



**Hitler et Eva Braun (1912-45) eius amasia**

sunt in Sede Ducis Principali a.1941/42): ibidem Hitler loquitur de *Buben* (pueris) et *Dirndl*n (puellis) et *Bazis* (Bavaris), de *Gigerln* (trossulis) et *Lackln* (bucconibus) necnon utitur locutionibus quales sunt: *krampfig* (convulsivus), *Wortgeblödel* (verborum inanitas, stupiditas), *einen Umgang haben* (commercium habere).

Inter milites cum versatur, talibus verbis recendentibus in sermone Hitleri praevalent locutiones remissiores quales solent adhiberi a militibus et sociis factionis: *Pfundskerl* (homo bellissimus et fidelissimus), *Würstchen* (botellus, *translatê*: homuncio miserrimus), *Gesocks* (faex populi) etc.

Non verebatur, ne uteretur verbis peregrinis; nam talia ei videbantur habere »sonoritatem«. Si iisdem utebatur, rem acu tangebat. Verborum peregrinorum versiones theodiscas nimis facticias atque coacticias solebat irridere; nam in hac re alienus erat a rerum germanicarum praelatione absolutâ: »*Fingas animo, quid accideret, si inciperemus verba peregrina exstirpare, ubinam nobis esset finiendum!*« (d.7. m.Mart. a.1942).



Exemplo sermonis adhibendi Hitlero erat *Schopenhauer*; quem commemorat adhuc in »Sermonibus Mensalibus« unicum esse Germanum, qui sciat linguam mutare (7. m.Mart. a.1942).

At vero *sensu linguae* Hitler, qui bellas litteras quae dicuntur prorsus neglexerit, nequaquam erat praeditus. Orationes suas publicas cum habebat, in quibus expressiones patrias et verba sermonis dialectalis non adhibebat nisi effectūs oratorii causā, remansit praecognitor politicus, qui non ignoraret, quid multitudo audire cuperet, quam sciebat corripere formulis verborum, quae facile memoriae mandabantur (*"Slogans"*). At vix umquam ei contigit, - quod saepe contigerat Ottoni de Bismarck, quā fuerat eruditione litterarum – ut crearet »verbum alatum«, quo thesaurus linguae ditificaretur.

*Professore de Hasselbach* (medico Hitleri) testante Hitler sinebat sibi proponere periodica anglica, americana, francogallica: »*Scientiam ad haec intelligenda necessariam (exceptis paucis notitiis linguae francogallicae in scholâ acceptis)* idem vitâ procedente paulatim consecutus erat. Praecipue ad hunc finem assequendum Hitler ante bellum saepe iubebat sibi monstrari cinematā anglica et francogallica textu originali instructa.« Scilicet has notitias non suffecisse ad linguarum peregrinarum spiritum atque structuram pervadendas. Tamen Hitler sibi non temperavit, quin negaret linguam anglicam esse aptam ad cogitationes exprimendas, quae altiores essent quam veritates atque animi conceptiones generaliter comprobatae (d.7. m.Mart. a.1942) – ista erat inveterata sententia praeopinata, quā libenter utebantur assetatores *motionis genticae*<sup>1</sup>, qui fuerunt phyletistae<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> **mōtiō gentica** i.e. orig. *völkische Bewegung*.

<sup>2</sup> \***phylētista**, -ae m. i.q. Rassist.

Hitler iuvenis, ut ipse refert in aliquo *Sermonum*, fuerat segrex et solitarius, congregandi nullo modo cupidus: »*At nunc solus esse omnino non iam possum ...*« Itaque Monaci maluit cauponam quandam sibi gratam frequentare quam domi sôlum cenare. In bello eo potius egebat hac convictione, ut animum relaxaret, et ideo ad prandium sumendum solebat sacrificare unam horam; cenam autem interdum protrahebat per duas horas.

Hitler diligebat facetê dicta necnon ipse, cum memoriâ valeret insigniter, sciebat talia multa narrare, more stupendo imitans aliorum et vultum et dialectum et intonationem; at numquam narravit fabellas lascivas, ne dicam de facetiis obscaenis. Itaque quod in circulo Hitleri photographus nomine *Hoffmann* interdum recitabat facetias indecoras, habebatur pro re insolitâ. Praeter hunc Germanum meridionalem restaurator *Kannenberg*, qui facultatis suae dispensandi causâ in Sedem Ducis Principalem erat allatus, eminebat quodam naturali acumine Beroliniano. Hitler gaudebat quoque dolis quibusdam iocosis, quos sessiunculae participes interdum inter se nectebant, et talibus rebus factis solebat manibus femora impellere aut manum oculis aut ori obtendere.

Haec sessiuncula unica fuit delectatio, quam Hitler annis bellicis sibi concessit; nam eius modus vivendi erat ferê Lacedaemonius. Temporibus pacis delectamento ei fuerat Berolini visere »Scalam« et »Hortum Hiemalem« (ludi circenses ei numquam placuerunt), et cinematâ ei fuerant instrumenta animi relaxandi praestantissima.

In bello – actione quadam Crepusculi Deorum Bayreuthensi exceptâ - numquam theatrum visit, et cinematâ non spectavit nisi »Spectacula Septimanaria«, quia eadem putavit instrumenta praeconationis politicae esse gravissima ideoque praeceptis vim habuit ad ea exhibenda. At oecum cinematei reliquit, ubi primum postea cinematâ monstrabantur ad graphearios suos delectandos: nam noluit magis delectari quam milites in fronte pugnantes.

Quia non fumabat, cafeam evitabat, potulenta alcoholica recusabat et cibis vescebatur merê vegetariis, etiam hac in re non opulentius vivebat quam miles. Itaque Hitler superavit ipsum Vilelmum II.um, qui annis bellicis sumptum ciborum suum severê deminuit et – quod attinebat ad potulenta – iam semper modum tenuerat.

Usque ad finem suum Hitler mansit Germanus mediterraneus, qui vix umquam curaret regiones marinas. Formido tempestatis marinae aenigmatica, lusus undarum quae aequaliter advolvuntur marginibus spumosis insigne, lumen solare quo refringitur aequor maris quietum, sol in fluctûs delabens: Hitler haec omnia interdum tantum videt, sed tale spectaculum nullum habet vim ad eum. Etiam pugna hominum contra aquam elementum primigenium necnon audacia nautarum videntur numquam vehementius eius animam pervasisse.

Hitler non sôlum remansit Germanus mediterraneus, sed – etiam limitatior – homo intra regionem Limitis Romani vetustiorem vivens. Qui deditus erat culturae Maris

Mediterranei neque cum assetoribus suis communicabat immanem Germanorum antiquorum illustrationem atque celebrationem. Eidem non placebant silvae pinuum, immo idem declaravit: »Mâlo pedibus migrare in Flandriam quam birotâ vehor in orientem. Solâ ratione iubemur ire versus orientem« (d.4. m.Febr. a.1942).

Magnum consilium conceperat ad Berolinum summo honore decorandum; quod voluit facere caput »Magni Imperii Germanici Nationis Theodiscae«, et nomine appellare »Germaniae«. Sed hoc non desideravit intimo ex animo. Nam putavit urbem Berolini non esse dignam, quae fieret metropolis artium: »Nam sôla iam atmosphaera isti urbi deest« (d.3. m.Maii a.1942, vespere) – quod patet iudicium esse immane, si animo fingis caput Imperii annis vicenariis fuisse urbem theatri et artis musicae omnium Europae primam et ad omnes provincias artium in totâ Germaniâ plurimum valuisse.

Hitler prius scridis<sup>1</sup> vehebatur; qui perrexit amare montes, sed saltim annis virilibus non iam sensit irritamenta montes ascendendi et mercedem laboris conspectum longinquitatis atque profunditatis accipiendi. Athleticam omnino non faciebat; ambulatio fuit eius exercitium corporis unicum.

### **Hitler in quâ necessitate fuerit cum cooperatoribus suis**

Familiares animadvertebant, quantopere »praeceptor« saluti comitum sui prospiceret, quantopere particeps esset illorum gaudii atque miseriae; exempli gratiâ ante dies natales deliberabat, quo dono homini donando gaudium fieret quam maximum... Reverâ in circulo suo Hitler, homo familiae atque amicorum expers, erat bonus »sodalis« - quantum valeret sodalitas, primo bello mundano expertus erat, eandemque experientiam in vitâ suâ reliquâ firmê retinuit.

Comites Hitleri etiam sciverunt, quam vehementer Hitlero placerent mulieres pulchrae atque cultae. Qui neverunt, quantum diligeret infantes; observabant, quantopere indulgeret pastoralibus canibus feminis, quas vocabat »Blondi« et »Bella«, et quantum animus eius relaxaretur moribus animalium suorum observandis. In »Munitione Lupariâ« curaverat viam obstaculorum construendam, viae pedites exercendi similem, in quâ canes debuerunt obstaculis facile superandis demonstrare, num essent et ratione et audaciâ...

Hic fuit unus ex vultibus Hitleri, non praetextus, non simulatus, sed sincerus. At iste vir horrendus fuit etiam altero vultu, quem in sessiunculâ non monstrabat: qui item fuit verus.

Hitler dicebat quidem interdum in colloquiis suis se ipsum velle eum, qui hoc aut illud scelus commisisset, sclopetando interficere. Sed sodales sessiunculae cum

---

<sup>1</sup> +scrîda, -ae f. Ski

scirent Hitlerum ipsum numquam sclopetasse in adversarium politicum, talia verba habebant pro vanâ gloriatione...

Numquam ratio constat, quandocumque conaris comprehendere, qualis homo fuerit Hitler: Eius indulgentia infantium canumque, gaudium florum rerumque cultarum, admiratio mulierum pulchrarum, eius inclinatio ad artem musicam (etiam dicemus postea de his rebus omnibus) fuerunt verae; at haud minus vera fuit eius consequentia misericordiae expers, praegelida (»eiskalte« - verbum Hitlero dilectissimum -), omnes scrupulos transiliens, quâ adversarios dominatûs sui et illos, quos esse adversarios mente finxit, delevit.

Ista ambiguitas animi fuit causa, quâ Hitler vim tam diversam habuit, ut aliorum animos inflammaret, aliorum repelleret. Quos mores inter se contrarios subito potuit inter se ita mutare, ut neque homines modo attracti neque repulsi scirent quid hoc sibi vellet. Hitler, qui regebatur modo ratione, modo animi commotione, modo obscuris instinctibus, tector et occultior fuit quam ullus aliis homo, qui umquam apparuit in historiâ Germaniae...

*(Altera pars sequetur!)*

# DE PEREGRINO RHODANO HEREDE UNIVERSI



FICTIO SCIENTIFICA A CAROLO HERBERTO SCHEER (1928-91)  
THEODISCÊ SCRIPTA ET A LEONE LATINO IN LATINUM CONVERSA

*Hanc translationem Latinam dedico Roberto Hectori  
medico Peregrini Rhodani peritissimo.*

*Praefatiuncula interpretis.*

UTOPIAE vel fabulae utopicae, quibus agitur de ficticiis rebus publicis gentium, quae genere vivendi praestare narrantur hominibus, Latino sermoni iam saepius sunt mandatae: Memorandum est illud Morianum opusculum eponymum, memorandae sunt quoque “Nova Atlantis” Baconiana et “Civitas Solis” Campanelliana. Ne obliscamur iocosum illud “Nicolai Klimii iter subterraneum” a Ludovico Holberg Danorum poetâ ingenioso Latinê descriptum. In his fabulis saepe memorantur methodi et itinera et instrumenta technica inaudita. Ipse Cicero in Somnio suo Scipionis narrat de mirabili consideratione universi, Lucianus Samosatensis (120-180/200 p.Chr.n.) in “Icaromenippo” et “Veris Historiis” phantasiâ incredibiliter iocosâ et satiricâ et ingeniosâ praeditus scribit de bello Rêgis Lunae Rêgisque Sôlis, de fungis anthropomorphis, de ampelomixiâ, de cynocephalis, de centauris, qui constant ex nubibus, de mari lactis, de insulâ ex caseo confectâ, deque sescentis aliis rebus mirabiliter phantasticis.

*En habemus iam lepidum exemplum modernae Latinitatis, quo agitur de fictione scientificâ: **Genovefa Immè** (1929-2012) scripsit de Apuleio redivivo (“**Saeculorum transvectionem**”)!*

*Gratissimum modo mihi fecit **Marcus Cristini** Brixianus ille et philologus et botanicus excellentissimus, ipse auctor complurium fabularum scientiae ficticiae Latinarum, eo quod in litteris ex Insulâ Nivariâ missis multa graviora indicat de neolatinis litteris utopianis et astronauticis (v. infra, p.77 sq.: Echûs Voces Epistulae, ep. d.06. m.Aug., a.2023).*

*Vernaculae autem litterae recentiores abundant talibus fictionibus nec desunt auctores huius generis, qui excellant et facultate narrandi et scientiâ rerum physicarum technicarumve. Quis non noverit pulcherrimas fabulas **Julii (Jules) Verne** (1828-1905) Francogalli ingeniosissimi? Praedicantur etiam **Isaac Asimov** Ruthenus Americanensis (1920-92) et **Stanislaus Lem** Polonus (1921-2006) nostrâ aetate fabulas de rebus scientificis fingentes. Bonis fictionibus scientificis praemonemur periculorum, quae immineant nobis rerum technicarum abusu nefario. Haud raro accidit, ut auctores utopiani praeviderent inventa technica diu antequam exstarent. Exempla celeberrima sunt opuscula **Georgii Orwell** (1903-50) et **Aldi Huxley** (1894-1963), quorum nonnulla argumenta, velut custodia civium “Magni Fratris” instrumentis electronicis perfecta et procreatio vel potius fabricatio variarum classium hominum artificialis, illo tempore, quo edita sunt, videbantur omnino fantastica et a veritate remotissima. At hodie multi cives cordati disputare non desinunt, quomodo evitari vel saltim deminui possint detrimenta libertatis et individualitatis et humanitatis, quae efficiantur cryptacustris et datorum pertractatione et clonibus hominum fabricandis et genomate hominis investigando et mutando.*


*Scilicet fictiones scientificas saepe spectare ad itinera astronautica vel cosmonautica: In iis homines alias gentes rationis participes in alio planetâ alterius systematis solaris exortas aut visitant aut ab iis visitantur. Fabellam huius generis nunc tibi narrabo, cara Lectrix, care Lector.*

*En accipe argumentum fabellae quam ipse togâ ornavi: **Peregrinus Rhodanus** (cui nomen barbarum est “Perry Rhodan”) multa et magna facit itinera galactica, ut hominibus inveniat miracula cosmica et adducat animalia extraterrestria terram invisentia, repellat invadentia. Herois navis cosmica appellatur **Astroconia** (i.e. “Pulvis Stellarum”) sive – βαρβαρικῶς - “Stardust”. Num homines vitiosi et sescentis peccatis maculati digni sunt, qui serventur tantis laboribus? Heros quidem noster generis humani causâ non desinit opera moliri mirificantissima; sed minus quam Hercules laborat robore, magis ingenio et sagacitate ferê inexsuperabili. Nec Peregrinus noster acquiescit in dodecathlis perpetratis, sed plus milia iam beneficia heroica praestitit. Nam in Germanicis Aedibus Moewigianâ et Pabelianâ inter se unitis editi sunt iam 3254 (tria milia ducenti quinquaginta quattuor) fasciculi fabellarum Peregrini Rhodani. Est enim haec series fictionum scientificarum omnium totius mundi longissima et illustrissima! Actiones, quae narrantur, fiunt spatio temporum, quod est inter nostrum saeculum et annum 4807 (i.e. quater millesimum*

octingentesimum septimum). Primus fasciculus huius seriei, e quo excerpti textum Latinē reddendum, editus est d.8. m.Sept. a.1961. In eius fabulā narratur superficie lunae appulsa esse navis extraterrestris, quae volare possit velocitate supraluminari et habeat altitudinem plus quingentorum metrorum. Ei inesse animalia, quae emissionibus radiophonicis auditis perfectē didicerint linguam humanam (anglicam, de Latinā – proh dolor – nihil refertur).

Iam audio dubitatores incredulos: “Quales” inquiunt, “narrabis fabellas? Quaenam est velocitas supraluminaris? Ignorasne theoriam illius Alberti ingeniosissimi, quā scimus nihil esse lumine celerius? Et quid de navibus spatialibus tantae amplitudinis? Et de animalibus extraterrestribus linguam humanam perfectē discentibus? Nugae! Sanē ridicula! - “St” quaeso, - ut ille Scipio - “ne me e somno excitetis et parumper audite cetera”. Certē huic fabellae nonnulla insunt in terris inaudita. Sed nemo scit quid serus vesper vehat... Si autem vobis placuerit versio fabellae Latina, equidem “sublimi feriam sidera vertice”...

.....



## DE INCEPTO ASTROCONIAE

Hastae flammeae coruscant per caelum nocturnum, cum *Astroconia* mediā e columnā igneā emissā terram relinquit. Cui navi cosmicae destinatum est, ut volaret ad lunam. Summus astronauta et dux expeditionis est quidam praefectus Americanae classis cosmicae. Cuius nomen est: *Peregrinus Rhodanus!* Dum Astroconia ad lunam approparet, munus astronautarum est clarē definitum. At tum, brevi ante appulsionem, impulsūs stationis terraneae telemoderatorii subito perturbantur forti emissorio alieno. Itaque navis cosmica ducis expers irruit in superficiem lunae! Automato necessitatis impeditur, ne fiat infortunium omnium pessimum – saltim ad momentum temporis. Astroconia appellitur. Quae posset breviter reparata denuo avolare – nisi ... Heus, nisi in lunā esset aliquis, qui quācumque ratione vult impedire, ne astronautae redeant ad terram...

### PERSONAE DRAMATIS

<b>Peregrinus Rhodanus praefectus</b>	Astroconiae nauarchus et heres universi
<b>Reginaldus Bullus centurio</b>	Astroconiae ingeniarius electronicus
<b>Clarcius G. Flipper centurio</b>	Astroconiae astronomus
<b>Dr Ericus Manolius</b>	Astroconiae medicus navalis
<b>Laelius Ponderosus imperator</b>	Praeceptor Americanae sedis imperatoriae universi investigandi
<b>Dr Flipsius</b>	Summus medicus Americanae classis cosmicae
<b>Allanus D. Mercantius</b>	Praeceptor anticascopiae internationalis
<b>Crestius</b>	Dux scientificus expeditionis ab Arconidarum gente extraterrestri susceptae
<b>Thora</b>	Nauarcha navigii Arconidarum cosmici bellissima et bellicosissima
<b>Professor Lemannus</b>	Praeceptor Academiae volatūs spatialis Astroconiaeque constructor daedalus

...

Triginta ferē chiliometris ultra polum tentaculo luminis infrarubri indicatum erat in propinquo esse aliquod corpus, quo multum caloris eradiaretur. Quod situm erat mediā in illā regione, ubi sedes esse emissorii perturbantis a *Flippero* centurione computata erat.

Astronautae harmate relicto marginem saxorum asperorum praeterierant. Montes circulares plus sescenta metra alti eminuerunt. Quibus formatus erat ingens crater e terrā numquam visibilis.

Tum per semihoram in montes enixi circumierant ultimum montem, quo visus impeditus erat. Adhuc fuerunt in radicibus montium circularium, sed magis ad septentrionem versi.

Instrumento locandi portabili clarius clariusque indicatum est. Dubium non erat, quin invenissent ruchetam alienam. Tum *Reginaldus Bullus* collapsus erat.

Qui genibus flexis coxim in sólo sedit, manibus nixus. Risus eius ineptus microphono receptus est et emissorio cassidis suae emissus.

Peregrinus Rhodanus ne sonum quidem edidit. Qui suâ sponte humum se abdiderat, sed nunc summâ cum voluntate studuit animum colligere. Rucheta aspecta viris sollicitis terrorem iniecit omnium vehementissimum.

*“Non – non, hoc non est, non est...!”* Bullus gemebat per locutrum. Iterum iterumque eadem verba.

Rhodanus prosiluit. Manûs suas dilatavit. Asperius quam necesse erat amicum traxit in saxi recessum. Tum Bullus stupefactus excitatus est. Tremens Rhodanum aspectabat oculis torpidis. In facie tam vehemente sudabat, ut madeficeret.

*“Tace, et quiesce. Bono animo sis, per Deum! Ne loquaris! Si illi fulgorem viridem nostris antemnis imposuerint, actum erit de nobis. Quiesce.”*

Rhodanus quoque aufûgit ad verba trita facienda. Quae quamvis languentia continuâ repetitione, vim habuerunt sono suo. Rhodanus ad talia praeparatus erat; tamen oppressus erat rebus repentinâ vehementiâ sibi innotescientibus. Se non iam solos esse! Se numquam solos fuisse!

Hac re cognitâ animus eius correptus et percusus est. Rhodanus sibi videbatur stare ante murum infinitae altitudinis.

Paucis momentis temporis post Peregrinus Rhodanus vultum finxit. Cor eius desiit rapidê palpitare. Caligo eius oculorum disiecta est. Tamen non laxius compressit bracchium Bulli. Suspiciatus enim est amicum lentius resipiscere. Certê Reginaldus centurio numquam tanto terrore percussus erat.

Rhodanus cassidem suam globosam cautê super saxum protendit. Oculi eius defixi sunt in structurâ illâ titanicâ. Desiit dubitare. Hoc non fuit somnium, nequaquam! Ante se positam esse rem verissimam.

Rhodanus tacuit, dum Bullus suâ sponte loqueretur. Non iam voluit vetare radio-telephonemata. Suspiciatus est hoc ineptum esse.

*“Tu hoc scisti, nonne? Tu hoc iam ante horas scisti”* Bullus susurravit. *“Itaque mihi fuit barba rasitanda. Unde tu hoc scivisti? Peregrine...!”*

*“Noli excitari, puer, non prodest!”*, Rhodanus in aurem Bulli raucus susurravit.

*“Haec navis spatialis nullo modo constructa est in Asiâ! Quae navis omnino non exorta est in terrâ. Quod suspiciatus sum conspecto illo tremulo lumine viridi. Nullus homo potest generare tantum campum energeticum, nullus homo tali modo interrumpere potuit emissionem nostram. Contine te, puer. Patiendum est. Nulla est nobis optio.”*

Bullus surrexit. Duri oculi eius remolliti sunt. Is quoque prospiciebat.

*“Navis appulsa afflictâ est”* paulo post dixit. *“Cum appulsa est, resectum est dimidium vallum crateris, idque tantâ cum vehementiâ, ut horreas, si animo fingas.*

*Quis est hic? Cuius formae sunt illi? Unde venerunt? Et... ”*, Bullus labia compressit, antequam repentinâ suspicione obortâ sententiam finivit sollicitam: “*...et quid hîc volunt?*”

Quâ quaestione Rhodani animus prorsus refocillatus est. Animo collecto perrexit prudenter deliberare. Labia eius distracta sunt.

“*Hoc experiemur*” lentê locutus est. “*Nunc actionem, quae nobis ineptê fieri visa est, intellego consentaneam fuisse. Scilicet nuntium nostrum illis interrumpendum fuisse. Qui videntur non optare, ut in terrâ patefiat se hîc esse. Verisimile est illos putasse nos, cum applicaremus, animadvertisse illam structuram giganteam. Sic res fit intelligibilis, nonne?*”

Verum, res facta erat intelligibilis! Nunc Rhodanus illam structuram alio animo consideravit. Ei impulsibus nervorum cerebri exauctis nuntiatum est periculum. Nunc navem alienam consideravit more investigatoris.

In sphaerae giganteae laevi superficie nihil potuit conspici. Ibi ne ulla quidem fuit insinuatio, nulla apertura visibilis. Solus circulus medianus insignis erat magno anulo toroso.

Tota navis ante parietem crateris diffractum stetit immota. Quae videbatur ne ullo quidem loco afflita esse, quamvis manifestum esset eâdem diffractum esse vallum montium circulare.

Tota structura imposta erat brevibus pedibus appulsoriis, columnarum similibus. Patuit eosdem in formam circuli ordinatos e quartâ parte corporis globosi inferiore evectos aut explicatos esse. Haec erant omnia, quae venerunt in eorum conspectum. Sole acriter splendente nitebat ingentis obtegumenti color rubeolus. Ad rotunditatem sphaerae superiorem aspiciendam necesse erat caput reflectere. Relicto pariete visum praocludente ii admodum appropinquaverant navi alienae.

Nunc etiam Reginaldus Bullus animum suum recollegerat. Quod apparuit e voce eius asperâ et cohibitâ.

“*Forma absolutê sphaerica, aptissima ad magnam navem spatialem, si modo praesto sunt apta machinamenta propulsoria. Bone Deus, aestimo istanc rem altam esse quingenta metra! Minimum quingenta! Paene altior est montibus circularibus. Me vix teneo, quin mente capiar! Quomodo fieri potest, ut tanta massa tollatur in aërem? An potius dicam – in universum! Per paulum animo fingere incipio, quantis machinis illo loco instructa sit navis. Mittamus ista, ne horrore perfundamur.*”

Addidit autem voce pressâ et submissâ:

“*En nos gloriatos esse de successu nostro technico! Nos pusillulâ nave attigisse lunam, ha! Navicula, quâ aegrê fit saltus ridiculus. At ante nos sita est via lactea, ante eam est sistema nostrum solare proprium. Tune suspicaris nos homulli superbi qualia animalia simus, si cum illis compararamur?*”

“*Si simios nos dixeris, ego dirumpar!*” Rhodanus dixit ore frigido.

“*Simile nomen fui dicturus*” Bullus respondit parum renidens.

“*Sed tu es homo valdê superbus, esne?*”

*“Glorior de humanitate meâ, de gente nostrâ, de processu nostro celeriter facto, de inceptis nostris futuris. Nos expugnavimus parvam lunam, nos aliquando stellas quoque expugnabimus.*

*Illo navigio incredibili nondum demonstratur illius vectores nobis esse multo intellegentiores. Illud fortasse est heredium decem milium saeculorum laboriosiorum – quod isti acceperunt sine ullo labore. Aliquid ignorare nequaquam est stultum esse. Respiciendum est, utrum ignorantibus data sit occasio ad discendum necne. Si autem talem nacti sunt, res pendet a scientiâ magistrorum. Nemo plura potest cerebro recipere quam sibi inditum est a magistris. Nos homines sumus gens iuvenis et valida. Nostra cerebra sunt tamquam spongiae. Quibus etiam haud pauca possunt indi, crede mihi. Itaque velim ne dicas te tibi subito videri semi-simium.”*

Rhodanus irâ verê incensus erat. Qui videbatur oblîtus esse, quanta structura sita esset ante oculos suos.

Bullus risit. Tum consideratê apprehendit telum machinale.

“*Mitte hoc*” Rhodanus commonuit. “*Hôc modo non solvemus problemata nostra. Quâcumque ratione nobis patiendum est nos non esse unica animalia universi intelligentia. Evidem hoc minimê miror. Homines, quales nos sumus, oportuit deliberasse de tali re. Omnis homo terram relinquens de eâ deliberaret oportuit. Semel saltim. Ergo mitte hoc. Res aliter se habent quam cogitaveramus.*”

“*Evidem melius me haberem, si istaec res esset aliqua rucheta miserabilis Confoederationis Asiaticae.*” Bullus susurravit. Tum more postulantis:

“*Et quid nunc fiet? Feliciter successit, quod imperium est penes te. Sed paulatim in me crescit curiositas ardentissima.*”

“*In me iam pridem*”, Rhodanus verbis extulit acerbis. “*Vix teneo. Sed isti non videntur velle vim afferre nobis. Ita – et restat aliud!*”

Denuo prospexit ad parietes saxorum diffractos.

“*Sanus nauarchus certê numquam navem applicabit istoc modo, quid? Evidem non. Sed si quis nave appulsâ dimidiâ ferê partem montium circularium resecuit, verisimile est eum hoc non fecisse prorsus voluntariê. Appulsus ignotorum videtur non ita bene successisse. Nunc illi nobis nonne videntur multo humaniores?*”

Rhodanus subrisit de sententiâ propriâ.

“*Ibi aliquid non convenit. Quia dicor patiens esse cladium, illam rem accuratius aspiciamus.*”

Surrexit labiis irrigoriê conformatis.

“*Delirasne! Abice te!*” Bullus sibilavit: “*Hoc ineptumst!*”

“*Minimê ineptumst. Considera condicionem nostram. Hinc aufugere non possumus. Si Ponderosus imperator alteram ruchetam miserit, non iam pridem mortui erimus, et astronautae proximi huc volantes similem fortunam patientur. Hîc nihil restat deliberandum. Fortasse fieri potest, ut ipse tu hoc intelligas pertinacissimus.*”

Praeterea animus Rhodani ardebat curiositate. Quae est illa vis hominibus insita invincibilis, aeterna illa inquietus, quâ quaeritant: ‘**Quid est post hunc murum?**’! Subito oculi Rhodani coartati sunt. Aliquis riserat. Fuerat perbrevis tantum risus, vix audibilis, sed aliquis riserat.

Bullus prosiluit telo parato. Vultus eius contortus erat.

*“Tune quoque hoc audisti?” anhelans susurravit. “Aliquis utitur nostrâ frequentiâ radiotelephonica. Malum...!*

*“Haud mirum” Rhodanus animo tranquillo locutrum personuit. “Curnam, putas, hîc egi dimidium ferê drama longis dialogis instructum? Scilicet eos nos audire! Ex eo quod non destruxerunt emissoria cassidum nostrarum exigua, apparet illos intelligentes esse. Qui perbene sciunt nos his emissoriis non posse attingere terram. Quod facillimè intellegitur. Eamus.”*

Bullus in loco constitit immotus. Eius telum leviter in manibus agitabatur. Lentê, aliquantum acerbê: *“Per me” inquit, “i. Evidem non cupio vultu confidenti incurrere in bracchia intelligentium polyporum aut similiū monstrorum. Manebo!”*

Vultus Rhodani contractus est.

*“Nimis multas fabulas legisti, amice! Animal polypo simile numquam construet naves spatiales, etiamsi contra opinionem intelligens est. Noli confundere figmenta cum scientiâ. Haec est res vera, nihil aliud. In terrâ sunt sat multi homines sagaces, qui non dubitent quin exstare possint aliena animalia intelligentia. Sed iidem non cogitant de terriculamentis. Ergo noli delirare, veni! Iterumne mihi dicendum est nobis non esse optionem?”*

*“Fortasse est” Bullus murmuravit. “Prorsus displicet tam temere in istam navem ingredi tamquam ovis stultê balans. Quod est contra instinctum meum, intellegisne?”*

*“Scilicet. Semper intellego proba argumenta, praesertim cum verisimile sit instinctum humanum rerum esse sensum omnium utilissimum, quibus creator nos imbuerit. Qui sensus bonus est; sed quibusdam condicionibus necesse est nos superare talem sensum. Poteris me sequi. Sed in hac re tibi non imperabo.”*

Rhodanus se vertit. Gradibus magnis et aequalibus ex abdito progressus est. In animo eius commotiones victae sunt merâ ratione. Scivit non esse alteram viam salutis.

Itaque Peregrinus Rhodanus iudicio suo constitit.

Eius telum machinale e loro umeri dextri pendebat huc illuc agitans. Manûs de corpore dependebant laxae. Rhodanus noluit primum conventum hominis et alieni animalis intelligentis fieri pugnam armatam. Qualem futurum fuisse malam salutationem, indignam et dishonestam viro mentis sanae et pacificae.

Animus sibi quodammodo videbatur exhaustus. Quo propius accedebat structurae giganteae, eo magis vexabatur ineffabili angore. Ignotos primos agitasse, procul dubio illos! Sed agitasse indirectê. Rhodanus conclusit radiotelephonemate perturbato magis indicari cautionem adversariorum quam voluntatem destruendi. Quâ cogitatione animus eius tranquillus est. Confidit menti illorum procul dubio praeponderanti, cui quaedam concedere voluit.

Distantiam nimis parvi aestimaverat. Navigium giganteum opinione multo remotius erat. Rhodano parietes concamerati etiam etiamque vastiores apparebant. Tam vehementer imminebant, ut animus eius supprimeretur. Aliquot centum metra in lumine solis nitido progressus non iam vidit navem totam. Quae videbatur habere plus quingenta metra diametri.

Pedes huius navis appulsorii fuerunt ampliae columnae, quae in partibus finalibus instructae erant permagnis catinis impositiciis. Rhodanus paulum subrisit, cum cognovisset eos pedes appulsorios similiter constructos esse quam pedes Astroconiae. Alienos similiter cogitare ac homines, saltim in rebus scientificis atque technicis.

Rhodanus per instrumentum audivit Bullum celeriter respirare. Paulo post apparuit umbra amici.

Reginaldus Bullus Rhodano tacitê se adiunxerat. Nullum sonum edidit. Rhodanus ei tacitê annuit. Qui gestus sub casside pressoriâ praebeuit aspectum valdê mirum. Bullus paululum reniduit. Quamvis animum collegisset, non potuit dissimulare oculos suos flagrantes. Quod flocci fecit.

Lentius lentiusque progressi sunt. Super iis eminebat ingens structura incomprehensibilis. Lumine solari irradiabatur pars tantum sôli, quod sub corpore globoso situm erat. Ibi, ubi sôlum coepit obtegi tenebris spississimis, Rhodanus constituit. Sursum prospexit, capite et umeris reflexis. Conspexit magnos hiatûs, quibus instructa erat pars inferior tori aequatorii, quem supra commemoravimus. Qui nunc cognitus est ingens anulus plus septuaginta metra latus.

*“Si illi nunc avolabunt, nos disiciemur in atomos”*, tranquillê dixit. Manu ostendit sursum. *“Hae aperturæ videntur spectare ad pyraulos, si quidem illi utuntur eâdem ratione quam nos.. Hae areæ fundi vitro obductae navi circumiectæ certê iam ferbuerunt candentes. Aestimo hanc navem, antequam avolat, sub condicionibus gravitationis terrestris, habere pondus circiter duorum milionum metretarum. Quomodo fieri potest, ut tanta massa moveatur?”*

“Equidem” Bullus acerbê iocans “commendo ruchetam spectaculi pyrotechnici”. Bilis ei est commota. Se ab illis omnino non respici. Iterum animum eius subit cogitatio de simiis. Quam nullo modo potuit arcere. Nam non erat tam ingenti confidentiâ sui quam amicus. Quam inopiam studebat compensare facetiis, quae paululum remotae erant a verâ condicione. Quâ viâ utebatur ultimâ, si ipsâ ratione nihil iam poterat efficere.

Rhodanus se continuit. Suspiciatus est intra navem nunc fieri disceptationes. Verisimile erat ignotorum quoque condicionem esse intricatam. Scilicet illos scire ambos homines a se perfacile posse confici. Fortasse suffecisset aliquod plectrum impressum ad hoc efficiendum.

Sed hoc ipsum Rhodano visum est laetabile! Alienos, nisi ethicam haberent humanae prorsus dissimilem – si notionem novissent tolerantiae, cuiuscumque generis, omnino nihil infesti paratueros esse. Illis nullam esse optionem nisi silentii continuandi aut existentiae suaे indicandae. Itaque Rhodanus praefectus patientiam adhibuit.

Bullus autem variê se gessit. Nonnullis momentis post ironicê dixit magnâ cum voce: *“Sub nave vestrâ stant duo monstra, quae enecantur fame sitique. Salvete quidem omnes. Nomen mihi est Reginaldus Bullus. Vos per benevolentiam vestram nos coegistis, ut navem automato necessitatis applicaremus. Nobiscum afferimus rationem persolvendam.”*

Bullus tacuit. Si res aliter se habuisset, Rhodanus risisset. At nunc eius guttur coepit exarescere. Mores Bulli simplices videbantur haud inutiles esse.

Desierunt loqui. Sed Rhodanus etiam propensus erat ad telum capiendum. Bullus iam pridem corripuerat automatum ruchetarium. Rhodanus se continuuit. Bullus ab eo oculis monitus umeros in torvum concussit.

Tum tam rapidē quam nonnullis horis ante lux viridis apparuit lux acerrima. Rhodanus cohorruit. Eo invito, quasi vi magicā, telum automaticum delapsum est ad cubita. Rhodanus usus est malo verbo. Angore dissimulato telum ad umerum reposuit.

*“Mitte istud” sibilavit. “Quotiens hoc repetendumst!”*

In pariete sphaerae magna apertura facta erat. Ex quā vēnit lux valdē lucida. Paries apertus erat sine ullo sono, sicut fiunt omnes actiones in lunā. Numquam antea Rhodanus aërem sonos perducentem iam vehementer desideraverat quam his momentis temporis.

Ex aperturā aliquid emotum est. Cuius podium cum sōlum attigisset, explicata est taenia lata, prorsus laevis. Haec mansit.

Rhodanus consideratē progressus est ad planitiem paulum lucentem. Proximē ad eandem in loco constituit.

*“Invitant nos”, dixit pressā voce. “Nulli gradūs sunt, hem! Introitus triginta ferē metris supra nos est. Hīc potest collocari Astroconia”.*

*“Videntur probare, quam intelligentes nos simus, nonne?”* Bullus dixit sollicitē anhelans. Iterum iterumque sursum prospectabat. Sed ibi nullum animal conspexit.

Rhodanus intravit planitiem obliquum. Quae sub angulo saltim quadraginta quinque graduum duxit ad introitum. Cum sensit se allevari, instinctu manūs erexit. Cavit, ne decideret, donec sentiret se ibi decidere non posse. Taenia non est tacta eius calceis. Qui nonnullis milimetris super materiam fluorescentem pependerunt, ut Rhodanus sursum prolaberetur tamquam scalis volubilibus.

Bullus autem maledixit. Qui non potuit manūs solvere a sustentaculo ficticio. Manibus pedibusque Rhodanum secutus est.

Ambo leniter depositi sunt in oeco magno. Hic fuit lux lucida. Iterum nihil audiverunt, cum portae clauderentur. Fuerunt in nave alienā.

*“Nullus homo nobis hoc crederet!”* Bullus susurravit *“nullus homo! Sed incertum est, num nos umquam cum homine simus collocuturi. Quid moliris?”*

*“Cum illis agitabo, ratione meā utar. Quid aliud? Condicio nostra desinit esse irrealis, si rem consideramus ut naturalem. Omnia pendent ex instinctibus tollendis. Stude eosdem superare.”*

Auscultaverunt acutum sibilum aëris invadentis. Primi soni facti sunt audibiles. Sed valdē incertum erat, num haec mixtura gasorum ab hominibus posset respirari. Rhodanus cognovit se reapse quodammodo probari ab alienis. Si nunc cassidem aperuisset, certē fore, ut haec actio temeraria haberetur pro notā minoris intelligentiae. Non potuit scire, quaenam gasa inflata essent. Itaque tacuit, donec portae interiora aperirentur.

Conspexerunt andronem altum, valdē concameratum. In cuius fine erat specus fluorescens. Nunc nihil restitit decernendum. Navis videbatur nautis orbata esse. Quae condicio erat omnino inaudita. Bullus scivit se tantam tensionem nervorum pati

non posse nisi summum quinque minutis. Tum se animum non iam posse coercere. Cupiebat clamare, furere, circumcurrere telo temere usus.

Tum aliquis more magistri linguae anglicae clarē pronuntians fecit verba haec:  
“Convenit vos aperire vestimenta vestra tutoria. Aer potest a vobis respirari.”  
Rhodanus sibilans exegit spiritum retentum. Tacitē aperuit cassidem...

.....

Ille se appellavit “*Crestium*”. Illa gens nescivit differentiam nominum personalium et gentiliciorum. Crestius fuit staturā perlongā et gracili, saltim capite longior quam Peregrinus Rhodanus, duabus bracchiis duobusque pedibus, trunco gracili, ingeniosā facie sapienti viri praevetusti, cuius cutis remanserat incredibiliter iuvenilis et stricta. Convexae fronti prominenti subsiti erant duo magni oculi argutissimi. E colore cutis concluderes eum esse gentis insulanorum cutis vellutinae. Haec autem conclusio infirmata erat rubore oculorum albinotico capillorumque canitie. Qui circumdatus erat quadam aurā alienā, irreali, quamvis formae hominis persimilis esset. Differentiae graviores certē infuerunt rebus non statim cognobilibus. Rhodanus opinatus est illius structuram organicam ab humanā funditus discrepare. Tamen Crestius respiravit oxygenium.

In oeco magno fuit aestus gravissimus. Lumen lucidissimum lucebat colore subcaeruleo. Verisimile erat eius areas limitaneas iam esse in spectri parte ultravioletaceā. Certum erat illos oriundos esse e planetā solis praelucidi et praecalidi, quo lux caerulea éderetur. Haec indicata sunt illuminatione et temperaturā iniucundae altitudinis. Haec fuerunt omnia, quae Rhodanus statim mente comprehendenderet.

At – aliud quoque statim animadverterat.

Crestius videbatur esse exesus et infirmus. Eius motiones videbantur quodammodo inopes. Speciem praebuit viri moribundi. Rhodano in mentem venerunt montes illi resecti. Num hoc effectum esset intellegentiā infirmatā?

Adfuerunt etiam duo animalia alia. Quae etiam sexūs masculini fuerunt. Oculi Rhodani per nonnullas secundas temporis pressē conclusi erant. Numquam antea viderat animalia tanto cum lethargo se moventia. Etiam homo parum attentus animadvertisset, haec animalia quam essent inertia et socordia et somniculosa et circumiectorum negligentia.

Crestius autem, si comparares cum illis, tibi videretur adhuc fortis et vegetus. Cetera animalia ambo ne capita quidem converterant, cum homines intrarent sibi certē haud soliti.

Haec animalia aliena tarda et hebetia cubilibus suis latis imposita torpidis oculis aspectabant ovata visificia quorundam instrumentorum, quorum vim Rhodanus non intellexit. Qui in iis nihil animadvertisit nisi marmarygam, quae per scalam colorum vicissim augebatur et diminuebatur. Qua formabantur figurae geometricae infinitae multiplicitatis, additis stridoribus et clangoribus.

Rhodani animum subiit suspicio adversa. Aliquid defecisse in hac nave spatiali, quae videretur tam perfectē constructa esse. Illis animalibus esse affectum animorum

somniculosum. Vectores huius navis se gerere, quasi homines non adessent. Crestius aliquem ex aliis viris allocutus erat. Is reniduerat lepidē et amabiliter et urbanē, sed responso tardē dato oculos reverterat ad visificium<sup>1</sup>.

Bullus autem mirabatur ore aperto. Sed hoc abruptē mutatum est, cum quaedam mulier oecum intrasset. Quae tantum frigoris superbiaeque pree se tulit, ut Rhodanus cohorresceret. Quae eum Bullumque semel tantum limis oculis conspicata nullo iam modo respexit.

Haec mulier longitudine corporis aequavit Rhodanum et fuit oculis suaे gentis rutilis. In terris ea dicta esset singulariter pulchra, sed Rhodanus perrapidē desiit cogitare de pulchritudine. Subito cognovit hanc mulierem faciei angustae et infestae esse periculosam, quia ei insita esset opinio praeiudicata. Isti enim mulieri se videri esse gentis cuiusdam reptilium praediluvialium cerebris hebetibus instructae.

Hoc vénit in mentem Rhodani quasi impulsus dolorosus. Numquam antea tantopere erat contemptus, neglectus, naribus suspensus.

Colorem mutaverat pugnosque fecerat. Mulier induta erat vestimento admodum stricto, haud absimilis vesti combinatae, in pectore nonnullis symbolis ruboris fluorescentis instructo. Rhodanus postea demum agnoverat his symbolis significari gradum honoris. Crestius, cuius affectus humanis valdē similis esse videbantur, claro suo sermone anglico illam introduxerat nomine “*Thorae*”. Qui vir perquam infirmus facie mirabiliter iuvenili praeditus splendidos mores pree se tulit amabilis viri nobilis.

Itaque animalia aliena, in quae Rhodanus inciderat, se gesserunt vehementer variē: ab uno receptus est maximā cum urbanitate, ab altero frigidissimā cum recusatione, a ceteris stupendo cum lethargo.

Rhodanus in totā vitā suā numquam magis miratus erat quam his momentis temporis. Bullus sibi videbatur saltare in dolio pulveris pyrii. Qui pertinaciter id tenebat quod sibi non deponenda fuissent tela. Hoc quoque fuit perquam mirum!

Crestius eos aspectans perdiu perscrutatus erat. Quod fecerat tam apertē et manifestē, ut ii minimē laederentur.

Rhodanus usque nunc vix ullum verbum fecerat. Corpore bene arrecto constiterat medio in oeco admodum indecoro, cuius parietes obtecti erant innumeris visificiis aut similibus apparatibus.

Crestius autem infirmē subridens in cubile suum relapsus erat. Anhelabat. Tum primum Rhodanus ab oculis mulieris animadvertisit eandem esse sollicitam.

Quae viris suaē gentis acerrimē acclamaverat. Unus ex iis paulum de cubili surrexerat, tum subridens revertit ad delectamentum suum lusorium.

Rhodanus scivit tempus esse maximum, ut ageretur. Bullus enim non iam sustinuit animi suspensionem. Quod apparuit ex eius facie pallidā et labris, quibus ringebatur more neurospasti.

---

<sup>1</sup> \*visificium, -ī n. angl. *screen, display* – theod. *Leinwand; Bildschirm*.



**PEREGRINUS ASPICIT THORAM**

Crestii oculi obumbrati inclaruerunt. Qui videbatur sentire hominem esse impatientem. Rhodanus raro in oculis alicuius animalis viderat tantam curiositatem. Crestius videbatur inhiare alicui verbo, quo relaxaretur.

Is in hac nave cuius ordinis esset? Mulier quâ et quantâ potestate uteretur? Rhodanus paucis gradibus accessit. Eius cassis e retinaculis suspensa huc et illuc agitabatur. Illa statim se vertit. Cingulo rapidê tacto eum praemonere visa est. Rhodanum oculos mulieris inspexit. Illa eum rictu oris contempsit. Tum Rhodanus tam torvê reniduit, ut illa subito magis miraretur quam aversaretur. Bullus desiit vultum contrahere. Eius oculi coartati sunt. Se quidem Rhodanum novisse! Eum modo mutasse modum agendi. Nunc fore, ut aut fieret proelium repentinum aut res sanius ageretur.

Rhodanus illam praeteriit. Illa recessit, quasi tetigisset insectum venenosum. Crestius haec aspectavit animo suspenso. Cum Rhodanus proximê constitisset ad eum, oculos conclusit. Bullus nauarchum suum numquam audiverat tam leniter loquentem.

*“Domine, scio te a me intellegi posse. Quare et quomodo hoc fiat, in praesenti mihi videtur minoris momenti esse. Etiam condicio, quâ nunc sumus, parum valet. Nomen mihi est Peregrinus Rhodanus, sum praefectus Americanae Classis Cosmicae, nauarchus Astroconiae terraneae navis spatialis. Vos me coegistis, ut navem applicarem automato necessitatis. Sed de hôc alias.”*

“*Si uno gradu perrexeris, morieris!*” mulier clamavit voce fuscâ, irâ immensâ ferê suffocata.

Rhodanus hanc audivit nervis vibrantibus. Qui cum caput lentê vertit, subrisit more illustri.

Illa videbatur mutamen<sup>1</sup> aliquod impressisse. Mulier longa circumdata erat luminibus coruscantibus. E mulieris oculis apparuit eam stupefactam et perquam indignatam esse. Rhodanus paulatim intellexit, quomodo illa sentiret. Quae videbatur esse tantâ



### ECCE THORA IMPERIOSA

superbiâ et fastu gentis sua, ut homo ad suum cubile accedens sibi videretur blasphemare. Rhodanus nunc veram causam invênit, quâ illa homines aspernaretur. Mulierem sibi videri animal intelligentissimum, se mulieri hominem aetatis neolithicæ! Haec quidem fuit causa. Nunc denique condicionem intellexerat.

Crestius videbatur animadvertisse, quo animo esset Rhodanus. “Doleo” inquit, “non potui difficultates vitare. Non praescieramus vos adventuros esse. Secundum nuntios, quos ego acceperam, tertius planeta huius systematis solaris mundus est archaicus et subevolutus, cui inhabitant animalia primitiva. Ex volatu nostro investigandi proximo praeterito hîc videntur nonnulla mutata esse. Sed huc non vénimus, ut vos conveniremus.”

“Abite statim” Thora dicit colloquio se intermiscens. Cuius facies rubore suffusa erat. “Quod facitis, est contra legem. Mihi vetitum est, ne communicarem cum creaturis infra gradum C evolutis. Statim abite.”

Rhodanus spe vehementissimê deceptus est. Se creaturas esse gradûs inferioris. Inops irâ incensus est.

“Si ita est, cur nos in navem vestram ingredi sisistis?” interrogavit voce fuscâ.

“Cur? Quid hoc sibi vult?”

<sup>1</sup>\***mūtāmen**, -inis n. (Caelestis Eichenseer, Vox Latina 1978, p.168). theod. *Schalter* – angl. *switch* – fr. *interrupteur* – hisp. *interruptor* – ital. *interruttore* (

*“Quod factum est me auctore”* Crestius dixit. *“Quod vos non statim intellegetis. Vos estis gentis perquam iuvenilis. Propter morbum meum mihi contigit, ut exceptio mihi daretur. Est enim praeceptum quoddam extraordinarium. Licet nobis communicare cum animalibus subevolutis, cum primum existentia....”*

“Intellego” Rhodanus inquit, “prorsus intellego. Vos egitis auxilio, Domine?”

Thora acutum sonum edidit, ut indicaret contemptum. Tamen subito ea visa est iterum sollicitari.

“Vos estis valdē iuvenes et parati ad res gerendas. Suntne omnia animalia vestrae gentis talia?”

Rhodanus labra distorsit. Hoc quidem certum esse!

“Nonne sunt medici in nave, Domine? Quare non curaris?”

“Nullum est remedium” Thora breviter explicuit. “Abite nunc. Me iam satis dehonestavistis. Crestius vos vidit. Haec fuerunt omnia, quae vobis concederem. Ego teneo regimen huius navigii specialis.”

Bullus addidit “Huh!” Stupefactus est. Omnino aliter animo sibi finixerat primum conventum cum extraterrestribus habendum. Bullo omnia videbantur irrealia et melodramatica.

Rhodanus responsi loco cassidem depositus. Eius oculi arserunt. Mulierem non respexit. Crestius etiam attentior factus est. Vultu etiam acriore: “Recusasne?” interrogavit consternata. “Nescisne, quācum agas?”

Rhodanus admodum asperē respondit: “Scio, bene scio! Reverā mihi est cerebrum bene operans, quamvis haec nauarcha omnem operam det, ut neget sic esse. Itaque scio me versari in nave spatiali dormitoribus completā. Si considero progressum vestrum scientificum, mihi perquam mirum esse videtur, quod morbus tuus non sanatur. Alii videntur eum omnino non curare. Puto praeter te et nauarcham neminem vestrum esse aptum ad clarē cogitandum. Praeterea mihi videor agere cum descendantibus gentis olim valdē evolutae, sed nunc irreversibiliter degeneratae. Doleo, sed aspecta, quaeso, clarā mente illos viros! In terris illi ad curationem concluderentur morocomio.”

Rhodanus rapidē se vertit. Post eam subito apparuerant duae structurae metallicae frementes. Rhodanus androides non noverat nisi terrestres, ipsa electronica automata computatoria. Sed hi androides fuerunt machinae perfectae, forma humanae haud absimili et bracchiis fabrilibus et armigeris ingeniose institutis. Quae subito adfuerunt. Capita globosa oculorum expertia minata sunt. Praeterea demissa erant instrumentorum ignotorum orificia retinaculis multiarticulatis imposita.

“Mittite hoc” vox Rhodani personuit. “Res iniucundae quoque interdum sunt memorandae. Ipsa scis me vera dixisse. Si te angit haec a barbaro (ut ais) dicta esse, quare nos ire sivisti in navem vestram?”

Digitus Rhodani manuclam arrepturus erat. Reginaldus Bullus post aliquod cubile se abdiderat.

Thora visa est loquendi inops esse. Pallida inspexit Rhodani orificium.

“Tu audes...!” anhelavit manibus convulsis. “Tu audes talia verba facere in navigio ‘Magni Imperii’ investigatorio! Te delendum curabo, nisi statim abieris.”

Rhodanus: “*Bene*” inquit, “*comprobo. Tum sines me proficiisci nave meâ? Hoc corpus caeleste nihil est nisi satelles terrae. Nos hic vivere non possumus.*”

“*Doleo. Non convenit me concedere, ut vos animalia planetae tertii certiora faciatis nos adesse.*”

“*Pulcherrimum! Ergo vis nos suffocari, nonne? Nos non habemus scientiam technicam maiorum vestrorum, quam vos videmini hereditate accepisse. Nos non possumus oxygenium e lapidibus fabricare neque e pulvere nutrimenta. Nos modo demum coepimus expugnare universum.*”

Id quod secutum est Rhodanus fieri non posse putarat. Crestius, alienus tam insigniter tranquillus, stridulo clamore sublato rapidê surrexit. Qui subito visus est oblivisci infirmitatem suam.

“*Quid dixisti? Quid coepistis facere?*”

“*Coepimus expugnare universum*” Rhodanus repetivit immotus. “*Dispicetne hoc verbum? Nos ibimus viâ nostrâ et aliquo die nos quoque possidebimus tales naves giganteas. Multo prius quam vos umquam putastis.*”

“*Exspecta paulisper*” Crestius dixit anhelans.

Rhodanus surrexit consternatus. Telum demissum est. Inter aegrotum et nauarchum factum est colloquium tam vehemens, ut ei nihil restaret cum illis agendum. Consideratê recessit ad Bullum.

“*Heus numquam talia expertus sum*” raptim in aurem Bulli insusurravit. “*Quid nunc fit? Num isti inter se devorabunt? Oportet aufugere sat maturê. Androides mihi omnino displicant. Quid tibi videtur?*”

Bullus se non tenuit, quin rapidê quaeritaret. Nimis diu ei tacendum fuerat. Rhodanus autem acriter illos observavit. Tum dixit voce fuscâ:

“*Modo videtur decerni de fato nostro. Ille habet vim atque auctoritatem. Alioquin illa non oboediret more canino. Mulier est diabolica. Non ita clarê video. Quomodo factum est, ut tam purê loquantur linguâ nostrâ? Quid valet notio ‘Magni Imperii’? Num genus humanum ex mille annis prorsus ignorans adolevit seorsim ab ingentibus rebus factis? Quod est formidolosum. Praeterea verisimile est illam gentem non esse unicam universi intelligentem. Praevideo hominibus fore ingentes facultates. Nos hîc manebimus. Contine te, mi vetule! Hic est lusus magnus, quamvis videatur ridiculus. Haec animalia loquuntur notionibus prorsus aliis ac nos. Qui res habent simplices sibique solitas, quibus leviter tantum tactis viri terrae politici corriperentur convulsionibus clamatoriis. Ne umquam ostendas te stupefactum esse. Oportet nos colloquiorum participes simus. Nos hîc repraesentamus genus humanum, quod permagnum, unitum, forte velim videam. Intelligisne hoc?*”

“*Sanê*” Bullus dixit verbo lentê pronuntiando. “*Tamen velim etiam superstes fieri.*” “*Suspicer Crestium ingens consilium capere. En aspice! Illa fit demissior, commotior. Sentio modo aliquid factum esse. En aspice!*”

Nauarcha visa est sui non iam compos. Eius oculi fascinantes colore inducti sunt aureolo. Crestius aliquid addidit. Quod sonuit durum et definitum. Tum illa corpus arrexit ad formam iam strictam, ut Rhodano videretur esse signum honestandi.

Rhodanus recepit mulieris visum aenigmaticum. Quae fuit pallida, dolore et pudore afflita. Sine pausâ se vertit. Evanuit vastis androidibus comitantibus.

Tum soli fuerunt. Illae figurae prorsus socordes latis cubilibus impositae in numero non fuerunt; saltim Peregrino Rhodano sic visum est.

Crestius defessus relapsus est in cubile. Cum Rhodano leviter annuisset, is celeriter accessit. Qui reverâ sollicitus umeris inflexis alienum aspectavit. Tum, e proximo, Rhodanus animadvertisit Crestium esse admodum senilem. Antea propter cutem laevem iunior visus erat.

*“Domine, in nave meâ est medicus excellens”* Rhodanus rapidê dixit. *“Corpus tuum est perquirendum et curandum. Puto te hôc loco non adiuvari posse. Quamdiu in lunâ terrestri iam versaris?”*

Crestius paululum recreatus erat. Vultus antea fatigatione contortus nunc est remollitus. *“E spatio temporis, quod a vobis appellatur spatium quattuor mensium”* anhelavit. *“Forte accidit, ut hic applicaremus, factus est appulsus necessitatis. Occasionem nacti sumus ad descendam linguam in vestro planetâ praevalentem. Fortasse animo fingere non poteris, sed nos habemus alia cerebra ac vos. Nos numquam ullam rem obliviscimur. Nostrum centrum memoriae comparari potest cum receptro imaginum. Scilicet nos audivisse vestra radiotelephonemata. Quae cum essent valdê simplicia, gavisi sumus nos non appulisse tertium planetam. Vos ingens scelus estis commissuri estis contra lêges mentis atque rationis.”*

*“Bellum atomicum, ita!”* Rhodanus dixit animo depresso. *“Res est in summo discrimine. Doleo, Domine, hoc mihi esse concedendum. Sit tibi persuasum homines nolle bellum gerere.”*

*“Sed gerunt. Inde conclusimus gentem vestram esse adhuc primitivam. Sed mutavi sententiam meam. Vos estis iuvenes, cupitis agere, estis mentis capacissimae. Post observationes diligentes vos rettuli ad gradum evolutionis ‘D’. Licet mihi tale consilium capere. Thorae mandatum est, ut gradum gentis tuae altiorem inderet conditorio positronico. Ego sum moderator huius expeditionis scientificae. Puto saltim vos me sic appellaturos esse. Thora nihil praestat nisi navem regendam. Intellegisne hoc? Nostisne similes differentias imperii?”*

Hoc Rhodanus affirmavit. Ipsos homines talia perbene nosse.

*“Explicationes tuae directê spectaverunt ad legem ordinandi ‘Magni Imperii’. Licet animalia, quae iam cooperunt universum expugnare, a quodam docto et idoneo cive Imperii ad altiorem gradum elevari. Quod ego feci. Eo argumenta Thorae sublata sunt. Licet nobis vobiscum communicare.”*

Crestius leniter subrisit. In sinu gavisus est. Nunc Rhodanus tandem intellexerat. Reginaldus Bullus rectê divinavit, quare Rhodanus in loco consideret corpore convulso. Rhodano enim persuasum erat se ingenti gradu progressos esse.

*“Tu eges auxilio, Domine”* repetivit. *“Sine nos medicum nostrum adducere. Est agendum.”*

*“Postea. Primo audias. Praeterea non puto me a vobis adiuvari posse. Quamvis nos vobis similes simus staturâ corporis, tamen verisimile est nos a vobis discrepanre chemiâ corporis. Inter se differunt etiam structurae nostrae organicae. Saltem*

*expletis legem Imperii fundamentalem. Nobis valdē similes estis, mentis estis capacis, contigit vobis, ut vires nuclei atomici adhiberetis ad utilitatem capiendam. Nondum eo peccavistis, quod vires primigenias adhibuistis ad vos ipsos delendos. Ego sum unus ex doctissimis ‘Magni Imperii’, unus ex paucissimis, quorum voluntas et vis vitalis est servata. Mirarisne de Thorae loco honoris?”*

Bullus conspexit figuras sensum expertes sibi molestas. Mirum illud programma videbatur mutatum esse. Subito audita est procella saeva, figurae geometricae leviter tantum mutatae sunt.

“Estne haec causa?” Rhodanus interrogavit animo tranquillo. “Suntne illi degenerati, suntne?”

“Rectē iudicasti. Secundum vestram rationem tempus mensurandi gens mea habet iam nonnullos miliones annorum. Prius nos fuimus tales quales vos nunc estis; cupidi expugnandi, obdurati, cupidi sciendi. Aliquot milibus annis ante mores nostri coepti sunt depravari. ‘Magnum Imperium’ dilapsum est. Animalia intelligentia aliena a nostrā gente seditiones fecerunt contra nostram potestatem, ut imperium stellare inciperet labascere. Nos fueramus semper domini perquam mites, contra ac aliae gentes intelligentes. Nunc sumus in extremis. Regnum dilabitur, pugnatur de potestate absolutā. Plures quam quinquaginta gentes bene evolutae horribilia bella gerunt in viae lacteae profundis. Quod vos ignoratis. Vester sol valdē remotus est ab his actionibus. Vos versamini in aliquā viae lacteae viā secundariā minoris momenti.”

“Quomodo vos huic rei medemini?” Bullus dixit.

“Nullo, nullo modo” senex dixit spe abiectā. “Nos sumus debilitati nostrique immemores. Evidem sum particeps gentis nobilis in ‘Arcone’ regnantis. Thora quoque. ‘Arcon’ est mundus plus quam triginta quattuor milia annorum luminarium hinc remotus. Vos distantias computare soletis annis luminaribus, estne?”

Rhodanus palluit. Ingens numerus ei inculcatus est.

“Si ita est, vos navigare scitis velocitate supraluminari?”

“Scilicet. Ex aliquot decem milibus annorum vestri temporis. Terram novimus e mille annis. Illo tempore terram ultimo visimus. Tum civitas Arconidarum coepit labascere. Desiti sunt fieri volatus investigandi, naves spatiales remanserunt in portibus positae. Arconidae sentiunt se non posse vitare legem naturae. Adhuc cogitamus consiliaque capimus; excogitamus via mere theoretica mirabilia consilia ad novum imperium constituendum, sed haec sunt omnia.

Desunt vis virtusque, quibus haec ad effectum adducantur. Omittuntur res gravissimae. Regnum magis magisque dilabitur. Gens Arconis regalis ipsa degenerata est. Petunt otium pulchrum et pacificum, desistunt a laboribus. Sumus nimis seniles. Vires nostrae sunt exhaustae. Et...”, oculi Crestii coartati sunt. “usque nunc nullam gentem aliam invenimus, quae talis est, quales nos olim fuimus. Vos videmini extraordinarii. Itaque vos ad altiorem gradum elevavi. Quod est ius et officium meum.” Rhodanus nunc coepit more investigatoris agere. Ei exortae erant innumerae quaestiones et aenigmata incomprehensibilia.

“Dicis vos hic versari e quattuor mensibus. Quare, medius fidius, nondum profecti estis?”

Vultus Crestii Rhodano consideratē annuentis etiam etiamque gravior factus est.

*“Haec est quaestio animalis intelligentis, cui est magna vis agendi. Quare non profecti sumus? Appulsus necessitatis in lunā vestrā factus est defectu machinamenti. Non iam curantur naves nostrae spatiales reficienda. Parvum tantum est detrimentum, sed in nave nullas habemus partes suppositicias. Profecto haec res neglecta est, sicut negliguntur omnia graviora. Non cogitatum est de hac re, sic est. Itaque in hōc loco defixi sumus. In dies exspectatur, sed nihil fit. Morbo meo impediō, ne ipse labores exanclē. Praecipuē egemus partibus suppositiciis. Non puto easdem in vestro mundo inveniri posse.”*

*“Nos eas fabricabimus”* Bullus dixit. *“Si nobis monstraveris, quomodo illae fabricentur, omnes accipies. Ne nos parvi facias, Domine! Optima ingenia totius terrae dabunt summam operam. Nos tibi stellas de caelo afferemus, si quidem dixeris, quibus rebus egeamus. Ergonomia terrestris est res gigantea. Nos omnia efficiemus, audi, - omnia!”*

Crestius excitatus est his verbis magnā cum confidentiā dictis.

*“Quod credo vobis”* susurravit commotus. *“Thorae animus tibi est conciliandus. Mulieres nostrae gentis minus afficiuntur degeneratione quam viri. Sic factum est, ut multi loci dignitatis occuparentur a mulieribus. Quod fit iam e saeculis, prius mulieribus officia non fuerunt nisi domestica. Thorae adhuc est mens clara et acris. Tu, Rhodane praefecte, vir es aptus ad rem. Ea te timet, quod mihi videtur perquam mirum.”*

Rhodanus singultivit. En sic esse. Bulbus reniduit. Res minimē clarior facta erat.

*“Ne miremini me loqui penitus vestris notionibus usum”* Crestius explicuit. *“Semper mihi fuit munus cum alienis animalibus intelligentibus agendi. Assuefactus sum, ut celeriter me accommodarem ad mentes et cogitationes alicuius gentis. Itaque minimē miratus sum vos apparere, immo exspectaram. Vos estis consternati et valdē commoti.*

*Usque nunc nescivistis vos non esse unica animalia intelligentia in universo degentia. Nōvi multos casūs similes. Semper consternatio fit, si apparent animalia magis evoluta. Vos autem iam desivistis consternari.”*

*“Quidnam faciunt illi?”* Rhodanus interrogavit voce pressā. Modi illi musici denuo mutati erant. Nunc fuerunt stridores acuti.

Crestius laboriosē caput vertit.

*“Ludunt solito lusu simulatorio. Quod multum valuit ad interitum nostrae mentis et voluntatis. Miliardae Arconidarum cottidie dediti sunt visificiis. Agitur de lusibus ficticiis a variis magistris excogitatis. Valdē intricati sunt, cogitationes aut sonis aut imaginibus expressae. Gens mea consumitur talibus lusibus dedita. Qui morbus in dies gravescit. In nave sunt quinquaginta tantum nautae. Quos video perraro, sed quandocumque video, voluptuosē admirantes collocati sunt ante visicia fictiva. Nostra vitia non spectant ad mala facienda, sed ad voluntatem prorsus debilitatam. Negligentes sumus omnium rerum. Nullā re excitamur, nullā tenemur. Semper praefertur opus alicuius magni artificis. Infinitē studemus, ut quam celerrimē fruamur novis artificiis.”*

*“Itaque te per quattuor menses neglexerunt, estne ita?” Rhodanus commotus interrogavit. “Neque ullo modo conati sunt invenire medicamentum. Quod certē vobis facillimum esset.”*

*“Facile esset, si quis se recolligeret. In nave habemus sat multa medicamenta, sed ego in morbum incidi nobis ignotum. Necessariae sunt disquisitiones et investigationes. Sed tales, quia requirunt tempus et labores magnos, apud nos non fiunt. In nave adsunt magni artifices, qui semper fingunt nova opera fictiva. Ordo navalis non tenetur nisi ab androidibus. Appulsus vester necessitatis, Rhodane praefecte, etiam effectus est automatis. Quae sunt usitata instrumenta securitatis. Cerebro positronico cognitum est nobis vobiscum non esse communicandum. Ergo ita rem regulavit. Quos est facillimum.”*

*“En facillimum” Rhodanus gemuit. Qui fuit perquam perturbatus. “Tu putas res esse faciles, quae nobis videntur esse fabulosae. Praeterea – quid valet positronicum. Nos habemus electronicas machinas computatorias efficacissimas. Positronium est res vitae brevissimae.”*

Crestius risit. Ex eius oculis apparuit quaedam misericordia paterna. Bullus devoravit verbum malum.

*“Aliquando haec intellegeatis. Nos non iam possumus navem provehere. Licetne te rogare, ut nos adiuves?”*

Subito Rhodanus recuperavit officia nauarchi et – hominis! Finita erat eius stupefactio iterata. Rhodanus coepit deliberare cum frigidâ subtilitate machinae.

*“Domine, recentissimis nuntiis secretis accepi horribile bellum inter mundum occidentalem et Foederationem Asiaticam gerendam vitari non posse nisi summis laboribus. Non possum tibi explicare paucis momentis temporis, quare hoc bellum vix sit evitabile. Quod efficitur variis ideologiis. Quod te ignorare verisimile est, sed in terris haec est condicio. Inde quaestio mihi est prorsus clara et definita, Domine.”*  
Crestius ab imo pectore suspiravit.

*“Quaestio ‘clara et definita’!” repetivit. “Talem expressionem verborum non audivi inde ex iuventute meâ. Apud nos non iam ponuntur quaestiones clarae et definitae. En age, quid quaesitus es?”*

*“Suntne tibi opes sat multae, ut inhibere possis bellum armorum atomicorum? Si sunt, quales sunt?”*

*“Qualia sunt arma atomica?” Crestius interrogavit animo suspenso.*

*“Duo genera, Domine. Et processûs nucleares fissionis et confussionis.”*

*“Processus fissionis impediri possunt absorptione completâ neutroniorum liberorum. Nôvi hanc methodum praevetustam fissionis nuclearis primitivae. Quae non fit nisi neutroniis, quales vos appellatis has particulas.”*

*“Rectissimê dixisti, Domine. Quod nos quoque scimus, sed non possumus talia efficere. Quid de armis confussionis nuclearis? De bombis hydrogenicis?”*

*“Haec quoque est methodus, a quâ nos iam pridem destitimus. Ad inhibendam confussionem nuclearem non apta est umbella anti-neutronica.”*

*“Rectê, Domine! Sed nos usque nunc ignitionem ignoramus nisi ‘fervidam’ quam dicimus. Itaque nullus gubernator terrestris curare potest, ut reagat hydrogenium gravium bombarum, nisi adhibetur ignitio thermalis fissione nucleari effecta. Numquam leves nuclei inter se confundi possunt nisi finditur materia fissilis ad confusionem incitandam utilem.”*

*“Tune es homo doctus? Perbene. Polliceor tibi haec arma funditus defectura esse, si quidem vos adhuc utimini ductione confundendi primitivâ. Sufficiet parvum tantum instrumentum.”*

*“Pro totâ terrâ?” Rhodanus tremens interrogavit. “Quae parvus tantum est planeta, navis autem mea est ingentis potestatis. Nos hoc assequemur.”*

Rhodanus convulsivê singultabat. Noluit inspicere oculos Bulli direptos. Qui technicus vertigine correptus erat. Alienus de talibus rebus ingentibus locutus est ita ut puer terrestris de proximo lusu pedifollii.

*“Ergo consentaneum est, ut te curandum ad terram portemus. Sed statim corpus tuum perquirendum est a Doctore Manolio. Qui inveniet, quo morbo labores. Qui est diagnosticus excellens. Fortasse certior faciendus est de structurâ corporis tui organicâ, item de metabolismo tuo. Puto morbum tuum ab eo cognitum iri.”*

*“Equidem proficiscar harmate” Bullus inquietê dixit. “Bone Deus, nisi maturê advenero, Flipperus imprimet plectrum avolandi. Tum fient infernalia.”*

*“Non necesse est illuc vehi” Crestius susurravit. “Loquere cum Thorâ. Nondum novistis facultates nostras, Rhodane praefecte...”*

## INDEX NOMINUM ET VOCABULORUM

**accēnsōrium tēli** Zündmarke der Waffe – **Alānus D. Mercātius Allan D. Mercant** - \***androis**, -idis m. *Roboter, Androide* - \***anticatascozia**, -ae f. *Spionageabwehr*. cfr neogr. ἀντικατασκοπεία – \***Arcōn**, -ōnis f. *Arkon*. - \***Arcōnīdae**, -ārum m.pl. *Arkoniden* - \***Astroconia**, -ae f. *Stardust (nomen navis spatialis, cuius nauarchus est Peregrinus Rhodanus)* - \***astynomus**, -ī m. (cfr neogr.) i.q. *biocolyta, superioris gradūs; Polizeikommissar* - \***astyphylax**, -acis m. (cfr palaeogr.) i.q. *biocolyta, vigil publicus inferioris gradūs, Streifenpolizist*. **biocolyta**, -ae m. (NOVELL. Iust. 29,5; 134,1) i.q. *astynomus, astyphylax*, v. supra. - \***bomba** \***hydrogenica** *Wasserstoffbombe* – **capita globōsa** *Kugelköpfe* – **cassis (-idis)** **pressōria** *Druckhelm* – **centūriō**, ūnis m. *Captain* – **Clarius G. Flipper** (erī m.) *Clark G Flipper* – **conditōrium** \***positronicum** *positronische Speicherbank* – **cōfusiō** \***nucleāris** *Kernfusion* – **Crestius**, -ī m. *Crest (nomen proprium viri extraterrestris)* - \***cryptacūstrum**, -ī n. *Abhörgerät, ‘Wanze’*. i.q. ‘cīmex’). cfr cryptoporticus, bot. Cryptantheria, cryptomitosis. - \***harma**, -atis n. *Panzer* (cfr palaeogr., i.q. currus bellicus, cataphractus). Etiam Alexius Scatebranus in indice operis sui, c.t. *Initia eloquentiae Latinae*, Moscoviae 2008, hoc verbum proponit: cfr p.654 **harma**, -atis n.; cfr p.636: adi. **antiharmaticus** – **Dr Erīcus Manōlius Dr. Erich Manoli** – **Dr Flīpsius Dr. Fleeps** – **fictiō** \***scientifica** *Science Fiction* – **fissiō nucleāris** *Kernspaltung* – **Foederātiō Asiātica** *Asiatische Föderation* – \***hydrogenium**, -ī n. *Wasserstoff* – **Laelius Ponderōsus Imperātor** *General Leslie Pounder* - **māchināmenta** **prōpulsōria** *Triebwerke* – **Māgnus Frāter** *Big Brother (Orwell)* - **marmaryga**, -ae f. *Flimmern* – **metabolismus**, -ī m. *Stoffwechsel* - \***mūtāmen**, -inis n. theod. *Schalter*; angl. *switch* – \***nauarcha**, -ae f. *Kommendantin* - \***nauarchus**, -ī m. *Kommendant*. - **nāvigium cosmicum/ spatiāle** sive **nāvis cosmica/ spatiālis** *Raumschiff* - \***neutronium**, -ī n. *Neutron* – **Peregrinus Rhodanus Perry Rhodan** – **plēctrum āvolandī** *Startknopf* – **praefectus**, -ī m. *Major*. - **Prōfessor Lemannus Professor Lehmann** - \***radiotēlephōnēma**, -atis n. *Funkgespräch* - \***receptrum imāginum** *Bildaufzeichner* – **Rēginaldus Bullus** *Reginald Bull* – **retināculum** \***multiarticulātum** *vielgelenkige Halterung* - +**ruchēta**, -ae f. *Rakete* – **tēlum māchināle** *Maschinenwaffe* – **Thōra**, -ae f. *Thora (nomen proprium mulieris extraterrestris)* - **umbrella** \***antineutronica** *Anti-Neutronenschirm* – **vēlōcitās** \***suprālūmināris** *Überlichtgeschwindigkeit* - \***ventilātrum**, -ī n. *Ventilator*. - **vestis combināta** *Kombi(anzug)*. - \***vīsificium**, -ī n. *Bildschirm*; angl. *screen, display*



**Ecce THORA**  
**virago Arconidarum misanthrōpa**  
**Amazoni haud absimilis**

**FABULAM  
PEREGRINI RHODANI**  
*(Perry Rhodan)*



scripsit  
**Carolus Herbertus Scheer**  
(1928-1991)

Latinê reddidit et indice nominum  
et vocabulorum instruxit

**Leo Latinus**

# ECHUS VOCES ET EPISTULAE

## LYDIA BRIGHI ARIMINENSIS COEDITRIX EPHEMERIDIS

d.3 m.Aug. a.2023 h.15:37

### Nicolaus Lyiae sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur? Fruerisne diebus aestivis? Esne loculum frigidulum nacta? Utinam ne fervores patiaris. Utinam liceat tibi gustare frigus amabile. Iamne perlustrasti Epistulam Leoninam 281? Tibi commendo fabulam criminalem a *Ferdinando de Schirach* scriptam, c.t. PUELLAE. Qua agitur de viro qui propter diffamationem tres annos degit carcere inclusus et desiderat ultionem. Agitur de re psychologicâ. Quid tibi videtur de arguento fabulae? Quid censes de elocutione Ferdinandi laconicâ? Suspenso animo exspecto arbitrium tuum sagacissimum. Vale pancraticê, cara sodalis, et perge mihi favere. Medullitus te salutat

### Nicolaus Leo Latinus

d.5. m.Aug. a.2023 h.10:59

### Lydia Nicolao spd

Nihil possum opinari nisi quod optima tua Latina conversio exstat: tuos neologismos admiror, quos interdum ignoro. Nonne scripsisti lexicon omnium verborum recentiorum? Legistine meam fabulam de scriba Romano in rubrica, q.e. 'Narrationes' Ephemeridis? Mittam mox tertiam partem. Fabula historica a me inventa est, non est conversio. **Vale optime!**

d.7. m.Aug. a.2023 h.11:48

### Nicolaus Lyiae scribae Latinissimae sal.pl.dic.

Gratias ingentes, cara Lydia, quod me certiorem facis de fabulâ tuâ! Gratulor tibi quod tantopere ditificas Latinitatem vivam. Fabulam tuam - ut verum confitear - aegrê tantum - longo tempore quaeritandi transacto - tandem invêni. Quare situs Ephemeridis interretialis labyrintho haud absimilis est? Nonne fieri potest, ut melius ordinetur?

Tot et tanta themata sunt sermone Latino dignissima. Utinam habeamus commercium litterarum, cara Lydia, quam abundantissimum! Vale semper pancraticê et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

## RADULFUS BONAEROPOLITANUS

d.11. m.Iul. a.2023 h.12.29

### Nicolaus Radulfo suo Bonaeropolitano sal.pl. s.v.b.e.e.v.

CARE BONAEROPOLITANE, rectêne vales? In appendice invenies unam ex illustrissimis *Ludovici Thoma*e narratiunculam togâ indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem

Thomae, quae est puerilis et ironica et satirica et iocosa. Maximē mihi videtur valere facilitas verba intelligendi, ut versio Latina sat rapidē legi et intellegi possit, ne vis comica perdatur. - Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpres studeat ad qualitatem originalem quam proximē approximare. - Et quid de argumento? Nonne tibi persona nōta est amitae isti Fridae haud absimilis??? - Nonne omnis nostrum tales homines iam vedit et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculae. Vale semper, **NICOLAUS LEO LATINUS**

d.17. m.Iul. a.2023 h.12:53

**Radulfus Nicolao s.**

Nicolae mi, tuam AMITAM finivi. Ut scis, numquam te laudare desino. Duas quaestiunculae: Non longe a fine, in paragrapho “Tum mater mea: ‘Cura’, inquit” legitur huic rei faciendo. Estne facienda? - Infra, in paragrapho “Amita etiam pocillum cafeām complevit.” Estne cafeā? **Gratias denuo, Radulfus**

d.18. m.Iul. a.2023 h.21.12

**Nicolaus Radulfo suo s.**

Gratias plurimas, care amice! Rectissimē correxisti lapsūs meos. Mox accipies EL 280. Vale semper, **Nicolaus Leo Latinus**

d.20. m.Iul. a.2023 h.17.18

**Nicolaus Radulfo Bonaeropolitano s.**

Care Radulfe, Accepistine EL 280? Modo eam tibi misi.

Vale semper, **Nicolaus Leo Latinus**

d.21. m.Iul. a.2023, h.13.08

**Nicolae mi,** Bene recepi. Ferias hiemales incipiam; non erit igitur mihi tempus aptum ad legendum. Temptabo autem. Valeas Semper, **Radulfus**

d.28. m.Iul. a.2023, h.22.27

**Care Leo Latine**, tam humilis es ut errores typographicos non solum agnoscas... sed etiam confitearis. Sapientia humilitasque te ornant. Attamen modo privato, ut ita dicam lapsulos istos tibi indicabam. Numerosiores errores mei sunt. De ciconia, est quaedam Hispana copula, quam ego rescripsi:

*Buen amigo, por San Blas*

*La cigüeña tu verás;*

*Mas, si acaso no la vieres,*

*Es porque es año de nieves.*

[Care amice, ad festum Sancti Blasii

Ciconiam miraberis;

Forsan autem eam non videbis:

Annus certe plurium nivium est. ]

**Vale Semper, Radulfus**

## URBANUS BRASILIOPOLITANUS

d.11 m.Iul. a.2023, h.03:27

### Nicolaus Urbano suo optimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.

CARE AMICE BRASILIOPOLITANE, rectêne vales? Accepistine Epistulam meam Leoninam 279? - Iam ex aeonibus ne litterulam quidem ex te accepi. - In appendice invenies unam ex illustrissimis *Ludovici Thomae* narratiunculam togâ indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem *Thomae*, quae est puerilis et ironica et satirica et iocosa. Maximê mihi videtur valere facilitas verba intelligendi, ut versio Latina sat rapidê legi et intellegi possit, ne vis comica perdatur. - Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpres studeat ad qualitatem originalem quam proximê approximare. Et quid de argumento? Nonne tibi persona nôta est amitae isti Fridae haud absimilis??? Nonne omnis nostrum tales homines iam vidit et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculae. Vale semper,  
**NICOLAUS LEO LATINUS**

d.29. m.Iul. a.2023, h.21:59

### Urbanus Leoni Latino salutem.

Qui *Ludovici* narratiunculam legerit, Fridam, viri defuncti sororem, glorem matris, liberorum amitam, initio deprehendet cognatis iam esse notissimam propter vitium, quo laborat: illa enim semper malevolum sermonem habet, quem quasi telum emittat in aliquem. In omnibus quærerit, non quid benigne corrigat, sed quid mordicus insectetur. Et, nefas!, cui familiæ desit, qui sic se gerat?

Forte narratiuncula, licet *Ludovicus* hoc non dicat, eo tamen spectet, ut lector vitium animadvertiscat, et, ne incidat in illud, caveat.

*Ludovicus Thomas* res suas pueriles lepidissime narrat. Cuius narratiunculam aptissimis verbis in Latinum convertisti; quam versionem qui legerit, non modo res et eventus mente poterit fingere dilucide, non modo multum cachinnabit, ut ipse interdum cachinnavi, verum etiam iucundissime suavissimeque Latine discet.

### Dedi Brasiliopoli, Saturni die, IV Calendas Sextiles, anno MMXXIII.

Quædam mihi videntur esse corrigenda:

pag. 3, lin. 13: prorsus diplicet, an prorsus displicet?

pag. 4, lin. 28 et 29: quo efficerem, an quo efficiam?

pag. 5, lin. 35; et pag. 7, lin. 5: guminasio, an gymnasio?

pag. 9, lin. 8: subito reversus, an subito reversa? (Agitur de matre, nonne?)

pag. 10, lin. 36: huic rei faciendo, an huic rei faciendæ?

## Urbanus

d.06. m.Aug. a.2023, h.17:14

### Nicolaus Leo Latinus Urbano suo Brasiliopolitano sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Gratias plurimas, mi care Urbane, pro responso tuo prolixo. Rectissimê me correxisti: exceptâ formâ vulgari, q.e. guminasium: Eandem consulto adhibeo (loco melioris,

q.e. gymnasium), quia ipse auctor adhibet formam falsam, ut sermonem matris parum eruditae iocosê imitetur: "Schimnasium", pro "Gymnasium":

3 guminasium, -ī n. orig. Schimnasium (rectê: Gymnasium; Thoma inducit matrem Ludovici mulierem non eruditam simpliciter loquentem verbi peregrini ignaram). Forma *guminasium* invenitur ap. VARRO rust. 1, 55, 4 codd. opt. (ThLL 06.2, 2379, 5).

Haec raptim, mox accipies EL 282. Utinam tibi placeat. Mox plura, vale semper, care amice, et perge mihi favere.

Medullitus

**Nicolaus Leo Latinus**

## PAULUS IACOBOPOLITANUS

d.06. m.Aug. a.2023 h.17:36

**Paulus Nicolao s.d.**

Nunc do operam ad vertendam symbolam meam de casu Chilensi et Bello Frigido, quam tu olim edidisti in Epistula Leonina. Conor vertere in Hispanicum sermonem, quia decrevi meis concivibus dare ansam ut de his gravissimis rebus meditentur. Appropinquat enim annus quinquagesimus ab ictu militari, qui factus est die 11 sept.1973. Idcirco, parum tempus mihi relinquit ad alias quaestiones Latinas agendas. Credo te, qui de mea Latinitate saepe curas, mereri hanc explanationem. **Cura ut valeas.**

d.06. m.Aug. a.2023 h.19:43

**Nicolaus Paulo suo Iacobopolitano sal.pl.**

Gratias plurimas, care Paule, quod mihi explicas causam silentii tui. Bene intellego te sollemnitatis patriae causâ nunc occupatum esse opere tuo historico in sermonem patrum convertendo. Utinam tibi etiam versio Hispanica feliciter succedat, utinam lectores habeas quam plurimos! Pro nuntiis Latinis quamvis brevissimis interpositis tibi semper ero gratissimus. Haec breviter; mox accipies EL 282. Vale pancratice et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

## VICTORIUS CIARROCCHI

d.02. m.Aug. a.2023 h.18:21

**Victorius Nicolao Gross sal. plur. dicit.**

Hanc epistulam, Nicolae doctissime, tibi mitto, ut aliquid de Nicolao Sallmann (1934-2023) deque Godo Lieberg (1929-2016) referam. Nam in septimo conventu linguae litterisque Latinis fovendis, qui ineunte mense Augusto a. 1989 Erfurti habitus est, contigit mihi ut ambos eos viros convenirem. Quorum orationes attente ab omnibus illius conventus participibus auditae sunt. Nicolaus tractavit argumentum hoc: 'Martinus Luther quid de auctoribus antiquis censuerit'. Godo: 'De Sannazario humanista et de necessitudinibus quae ei cum poetis veteribus intercedunt'. Idem vir

in ‘Gratiarum actione’ cum alia tum dixit haec: «Persuasum denique habeo [...] conventum nostrum cultui vivaे Latinitatis inter omnes Europae gentes fovendae magno usui fuisse». (‘Acta’ illius conventus edita sunt Romae, in aedibus ‘Herder’, a. MCMXCVII). Utrumque virum fluenter, praecipue Godo, cum participibus colloqui Latine solebat. Eos doctos viros Latinitatis vivaे propugnatores vel breviter commemorare visum est. Etiam ‘Epistula aperta’, quam Godo scripserat quamque tu, Nicolae, opportune in Epistula Leonina n. 281 rettulisti, me movet ad sententias rescribendas, quibus philologus quidam indesinenter utitur contra vivaе Latinitatis fautores. Sed hac de re melius est ut in posterum scribam,

**Optime valeas, care Nicolae. Victorius Ciarrocchi, Italus Pisauensis.**

d.02. m.Aug. a.2023 h.19:04

**Nicolaus Victorio suo optimo sal.pl.**

Gratias maximas, care amice, quod mihi de Godone Lieberg et Nicolao Sallmann nuntios affers graviores. Semper mihi maximi momenti videbatur nos etiam historiam Latinitatis vivaе recentiorem pertractare et litteris mandare. Nam si fundamenta historica rei nobis dilectissimae non respicimus, eadem res stat pedibus fragilibus. Ceterum honor tribuendus est omnibus sodalibus qui ausi sunt Latinitatis vivaе causâ contra torrentem natare ideoque haud raro incommoda passi sunt. Egemus Latinitatis Vivaе defensoribus laude dignissimis, quorum exempla sequamur. Nam, ut lègi apud Owen:

*Praeter virtutem nihil immortale tenemus.*

*Mens manet et virtus, cetera mortis erunt.*

Exspecto scripta tua animo suspenso ad eadem publicanda semper paratissimus.  
Haec raptim, carissime Victori, mox certê plura. Medullitus **Nicolaus Leo Latinus**

**MARCUS CRISTINI BRIXTIANUS**

d.10. m.Iul. a.2023 h.15:32

**Nicolaus Marco suo optimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

Care Marce, rectêne vales? Quid de inceptis tuis *philologotatois*? Accepistine Epistulam meam Leoninam 279? - In appendice invenies unam ex illustrissimis *Ludovici Thomae* narratiunculam togâ indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem Thomae, quae est puerilis et ironica et satirica et iocosa. Maximê mihi videtur valere facilitas verba intelligendi, ut versio Latina sat rapidê legi et intellegi possit, ne vis comica perdatur.

Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpres studeat ad qualitatem originalem quam proximê approximare. - Et quid de arguento? Nonne tibi persona nôta est amitae isti Fridae haud absimilis??? - Nonne omnis nostrum tales homines iam vidit et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculae. **Vale semper, NIC.**

d.16. m.Iul. a.2023 h.17:37

### **Marcus Nicolao optimo s.p.d.**

Gratias tibi maximas ago pro epistula tua proque narratiuncula perhumaniter missa. Mihi sero respondenti ignosce, quaeso, sed his diebus, ut saepe accidit mense Iulio, multa mihi perficienda sunt, cum mense Augusto bibliothecae, universitates studiorum sedesque publicae fores obserent et tota fere Italia se ab usitatis negotis abstineat, itaque omnia, quibus ante Kalendas Septembres summam imponere manum oporteat, nunc si non ad finem perducere saltem ad metam admoveare coner.

Epistulas Leoninas grato accipio animo et libenter lego, ubi primum mihi paululum est otii. Narratiunculam Ludovici Thomae subridens versavi. His diebus opus admodum est facetiis et fabellis comicis, ut animi recreentur! Textum Theodiscum numquam legi, sed arbitror te optime stilum levem et iocosum auctoris imitatum esse, Plauti Terentique non immemorem. Quod ad fabellas hilares attinet, cognoscisne libros Geraldi Durrell? Puer versavi *Familiam meam et alia animalia* (*My Family and Other Animals*) et iterum iterumque vix impedire potui, quominus risu corruerem. Ante nonnullos annos libentissime legi narrationem quoque fictam Iraji Pezeshkzad, quae *Avunculus meus Napoleo* (*My Uncle Napoleon*) inscribitur quaeque de familia Persiana tempore Alterius Belli Mundani facete narrat. Proh dolor, fabulae quibus nunc omnes plaudunt vel - ut rectius scribam - quae a criticis ad sidera tolluntur et a multis laudantur, quamvis ipsas pauci perlegerint, saepe maestitia eo abundant, ut malis commentarios diurnos legere, qui res aeque luctuosas sed veras referunt. Utinam Thalia pluris habeatur nostris diebus quam Melpomene!

**Cura, ut optime valeas.**

d.03. m.Aug. a.2023 h.13.38

### **Nicolaus Marco suo optimo sal.pl.dic.**

Rectêne vales, care amice? Fruerisne feriis? Modo scribo versionem fabellae scientiae ficticiae (De astronautâ fortissimo, qui vocatur *Peregrinus Rhodanus*, i.e. *Perry Rhodan*). Recordor te aliquando scripsisse Latinam fabulam utopicam - nonne? An iam plures huius generis scripsisti? Potestne fieri, ut fontes mihi indices? Gratias plurimas in antecessum. Utinam sint tibi dies iucundi et recreabiles!

Haec raptim, mox, si volueris, certê plura. Medullitus **Nicolaus Leo Latinus**

d.06. m.Aug. a.2023 h.21.32

### **Marcus Nicolao suo s.p.d.**

Gratias tibi maximas ago, sodalis optime, pro epistula tua. Fortuna favente bene valeo et his diebus in insula Nivaria (vulgo *Tenerife*) feriis fruor admodum iucundis, valles, saltus et montes lustrans tam plantas Canarias quam mirabilia loci visurus. Exempli gratia abhinc dies tres expertus sum pluviam 'horizontalem' in lauri silva, cum ibi essem dum nubes umidae ex Oceano Atlantico venientes frondes adtingebant minutissimis guttis onustae, quae paulatim supra foliis arborum se iungebant et dein humum cecidebant. Hac ratione filices, muscus et arbores celsae ante arentes oras Africas optime crescere possunt.

Quod ad fabellas scientiae ficticiae attinet, ante nonnullos annos aliam panxi (c.t. *Immortalitas*), quae in *Melissa* 180 publici iuris facta est, aliam scripsi (c.t. *Equus aureus*), quam benigne in *Epistula Leonina* 111 edidisti. Rem quodammodo sideralem, ut ita dicam, tetigi et in fabella c.t. *Iacet extra sidera tellus* (in *Melissa* 203 et 204). Ceterum fabulam brevem Arturi C. Clarke, c.t. *Nightfall*, ex Anglico sermone in Latinum interpretatus sum (in *Epistula Leonina* 105) et narratiunculam utopicam c.t. *Regnum caelorum* exaravi, quae typis tradita est in I.A. Lima et M. Pisini (cur.), *Certamen Latinum Salesianum II*, Romae 2020, pp. 27-37. Hanc tibi libenter mitto adnotationibus paucis additis, cum plagulae corrigendae ante impressionem mihi numquam missae sint et - ignaro auctore - textum corrector ignotus mutaverit, qui verba et Tacitiana et Vergiliana (necnon Venantiana), quibus narrationem innectere cupiebam, minime agnoscesse videtur... Haec sunt minutiae philologae, sed doleo quod textus editus interdum paulo sit perspicuus, mutatis perperam sententiis.

Quoad fontes, ad interpretationem scribendam adhibui editionem fabellarum brevium Arturi C. Clarke, quae *The Collected Stories of Arthur C. Clarke* nuncupatur. Non autem est necesse foris tantum exempla quaerere, cum domi quoque – in litteris dico Latinis – res siderales et utopicae sint excultae. Omissis omnibus scriptoribus antiquis, mediaevalibus et aetatis insequentis, poetae Neolatini recentiores haud pauci ad scientiam ficticiam se appropinquaverunt. Exempli gratia Olyndus Pasqualetti concinnum carmen de itinere ad Lunam faciendo panxit, quod inscribitur *Pellicientis Lunae dolus* (O. Pasqualetti, *Gemina Musa. Poesie e prose latine e greche*, a cura di G. Nepi, Macerata 1987, pp. 48-59; vide et editionem carminum Certaminis Hoeufftiani a. 1958). Papini *Iter naviculae per spatum* cecinit (in *Latinitate* 53 [2005], pp. 245-254), Fernandus Bandini *Astronautam naufragum* (in F. Bandini, *Memoris munus amoris*, introduzione, traduzioni, note ai testi di L. Gamberale, Genova 2019, pp. 89-99) et *Mortem in spatio* (in F. Bandini, *Tutte le poesie*, a cura di R. Zucco; introduzione di G.L. Beccaria; con un saggio biografico di L. Renzi, Milano 2018, pp. 437-446 = *Latinitas*, 48 [2000], pp. 201-208). Nuper Ioannis Lucas Furnari Leonardum finxit de urbe quadam futura robotis plena disserentem (vide *Renascens* 3 [2021], pp. 159-167). Inter carmina a iudicibus Certaminis Hoeufftiani praemio ornata aliquid “astrale” invenies praeter Pasqualetti. Iosephus Morabito carmen scripsit *Ad astronautas Americanos* (a. 1969) et alii fortasse versus similes panixerunt, sed nunc nomina me fugiunt. Michael quoque von Albrecht, fama super aethera notus, sidera non dignatus est in carminibus suis, ut sermo *De hominum curiositate* ostendit (M. von Albrecht, *Sermones. Satiren zur Gegenwart. Lateinisch und Deutsch*, Heidelberg 2021, p. 14). Ne plura scribam, scientia ficticia Latina veste libenter induita est et valde gaudeo, quod tu quoque hoc facinus adgrediaris. **Optime vale!**

d.08. m.Aug. a.2023 h.13.27

**Nicolaus Marco suo optimo sal.pl.**

Gratias ingentes tibi ago, Marce carissime, quod tam prolixê, tam doctê mihi respondisti! Praeterea suavissimê afficitur animus meus itinerario tuo geobotanico,

quod scribis more *Alexandri ab Humboldt*. Pro certo habeo hoc epistolium tuum cimelium fore Epistulae Leoninae 282, quae hodie est - ut sermone utar alchemistarum - *in statu nascendi*. Utinam sint tibi dies quos degis in *Insulâ Nivariâ* quam maximê delectabiles et recreabiles: Utinam floreant investigationes tuae botanicae: *Felix qui potuit rerum cognoscere causas!* Pancraticê vale, mi Brixiane felicissime, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

## HORATIUS ANTONIUS BOLOGNA POETA LAUREATUS

d.03. m.Aug. a.2023 h.15:39

### **Nicolaus Leo Latinus Horatio Antonio poetae laureato sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

Quid fit, quid agitur? Fruerisne diebus aestivis? Esne loculum frigidulum nactus? Utinam ne fervores patiaris. Utinam liceat tibi gustare frigus amabile. Iam diu nullum carmen a te accepi. Tune accepisti Epistulas Leoninas? Iamne perlustrasti Epistulam Leoninam 281? Tibi commendo fabulam criminalem a *Ferdinando de Schirach* scriptam, c.t. PUELLAE. Qua agitur de viro qui propter diffamationem tres annos degit carcere inclusus et desiderat ultionem. Agitur de re psychologicâ. Quid tibi videtur de argumento fabulae? Quid censes de elocutione Ferdinandi laconicâ? Suspenso animo exspecto arbitrium tuum sagacissimum. Vale pancraticê, mi care sodalis, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.04. m.Aug. a.2023 h.07:26

### **Nicolao optimo s. q. p. d. Horatius, humillimus linguae Latinae cultor.**

Tibi, rerum dulcissime nec non doctissime sodalis, maxims et plurimas imo ex corde gratias ago. Necopinata vero, sed admodum grata, ad me epistola tua est allata. Libentissimo animo eam semel iterumque legi et, quamuis ob nimium laborem lassus, fabellam a te in Latinum sermonem uersam legere uolui. Aegre a lacrimis abstinere potui, quia cor meum dignitatemque praesertim infamis femina continuo laedit. Hoc apophthegma olim legi: “*Maledictus qui confidit in femina*”. Quod, ut patet, non uerum, sed uerissimum est. Quibus tamen aerumnis omissis, ad fabellam transire conor.

Maximis autem et plurimis laudibus est non solum actor ornandus, sed ille etiam uir, qui maxima cum cura ac peritia in Romanorum sermonem uortit. Sermo est elegans, uerborum ordo atque usus idoneus et laude dignus. Ita tamen est, ut ulla sine dubitatione tironibus et omnibus qui linguam Latinam discere cupiant commendem. Feriis aestuis peractis ad mare cum uxore et nepoticula, domi sum nigerrimus factus. Domi sum et in maximum incumbo opus: nam in Italicum sermonem ingens opus illud, cui *Decretum Gratiani* index, cottidie uorto.

Paruam ad te elegiam mitto, ea ductus spe fore ut edatur. Nescio quid de illa sentias, sed eam libenter aliquot iam annos contexui.

Cura ut quam plurimum ualeas.

**Horatius**

d.08. m.Aug. a.2023 h.14.15

### **Nicolaus Horatio optimo poetae laureato sal.pl.**

Gratias tibi ago plurimas, Horati, pro verbis perhumaniter scriptis necnon pro *Nemore Vindobonensi*, quod modo recitavi magnâ cum voluptate. Elegiam tuam pulcherrimam iam inserui Epistulae Leoninae 282 hodie in lucem êdenda. Versio *Decreti Gratiani* utinam tibi succedat felicissimê. Pancraticê vale, poeta laureate, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

## **MAURUS PISINI POETA LAUREATUS**

d.10. m.Iun. a.2023 h.15:27

### **Nicolaus Mauro suo poetae Latino florentissimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

Care Maure, rectêne vales? Quid de inceptis tuis Latinê poetandi? Accepistine Epistulam meam Leoninam 279? - In appendice invenies unam ex illustrissimis *Ludovici Thomae* narratiunculam togâ indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem Thomae, quae est puerilis et ironica et satirica et iocosa. Maximê mihi videtur valere facilitas verba intelligendi, ut versio Latina sat rapidê legi et intellegi possit, ne vis comica perdatur.

Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpres studeat ad qualitatem originalem quam proximê approximare. Et quid de arguento? Nonne tibi persona nôta est amitae isti *Fridae* haud absimilis??? Nonne omnis nostrum tales homines iam vident et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculae. **Vale semper, NIC.**

d.11. m.Iun. a.2023 h.12:50

### **Maurus Nicolao s. p. d.**

Omnia tua, carissime, accepi et cras tibi, si aliqua dabitur mi animi requies, fusius respondendum curabo. Valeas, interea, ut ipse valere studeo.

d.11. m.Iun. a.2023 h.16.06

Gratias plurimas pro responso. Suspenso animo exspecto responsum tui fusius. Vale semper, **Nicolaus Leo Latinus**

d.03. m.Aug. a.2023 h.15.35

### **Nicolaus Leo Latinus Mauro suo optimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

Quid fit, quid agitur? Fruerisne diebus aestivis? Esne loculum frigidulum nactus? Utinam ne fervores patiaris. Utinam liceat tibi gustare frigus amabile. Iamne perlustrasti Epistulam Leoninam 281? Tibi commendo fabulam criminalem a *Ferdinando de Schirach* scriptam, c.t. PUELLAE. Qua agitur de viro qui propter diffamationem tres annos degit carcere inclusus et desiderat ultionem. Agitur de re psychologicâ. Quid tibi videtur de arguento fabulae? Quid censes de elocutione Ferdinandi laconicâ? Suspenso animo exspecto arbitrium tuum sagacissimum.

Vale pancraticê, mi care sodalis, et perge mihi favere. Medullitus te salutat  
**Nicolaus Leo Latinus**

d.03. m.Aug. a.2023 h.15.35

### **Maurus Nicolao s.**

Fabula quam Latine reddidisti, Nicolae, sat ingeniosa mihi visa est, etiamsi interdum artificiosa, praesertim cum dialogis sententiosis nimium indulget qui, licet utiles ad personarum voces exprimendas vel in comoediis vel in ipsis narrationibus, tamen, sunt plerumque ad effectum apparati, potius quam ad congruam argumentorum expositionem quae, propter hoc artificium, taediosa potest videri. Hic, tamen, collocutiones iocosae saepe apparent et animum lectoris ad hilaritatem vertunt, etiamsi, interdum, nimium saepe iteratur, *dixit, dixit, dixit* ... quod aliquod adfert legenti fastidium. Praeter hoc, quibusdam eorum sum allctus, praesertim quod attinet ad varias et amitae et pueri confabulationes vel ad vividam psittaci descriptionem, dum personae omnes in iisdem suas partes agunt nec simulate nec alicuius coercitae voluntate.

In textu Latine vertendo stilus tuus se familiarem praestitit, quamquam, interdum, magis concinnus et sonorus desideraretur, efficax, tamen, ad res minutias dicendas, ut recentior Latinitatis indeoles ab eodem patefieret. Nonnumquam, autem, licet inter eloquentiae flosculos, verbis inusitatis, vel admodum rarissimis, aut indolis vix probandae occurri quae a mea sentiendi scribendique natura sunt aliena.

Thema quod auctor tractavit, sine dubio, pueris convenit, sed, ut admones, tale prorsus quod adultos quoque doceat. Valde enim sum delectatus et pueri malefactis quae mea mihi, olim patrata, singillatim memorarunt et psittaco qui, pro dolor, non sine hilari crudelitate, qua pusiones solent foedari, scite describitur et ipsa amita, inurbana, dura, iracunda, cuius personam repperi ab auctore polite delineatam, licet aliquid habeat iam diu nobis cognitum, sed a te in Latinum sermonem congruenti elegantia redditam.

Nam, sine dubio, per exercitationes huiusmodi nos ad puerile itemque felix imaginationis domicilium reducis, ubi pueri viximus quodque in legendis fabulis, si detur occasio, iterum frequentare audemus, utpote cum, ni fallor, iam textus alios huiusmodi in lingua Latinam transtuleris qui tibi et compti et politi evaserunt, siquidem, in iisdem vertendis genus scribendi adhibuisti proprium, facile, perspicuum, etiamsi haud semper classicum, ut me autem iuvat.

Ex hoc fit ut, minus quam oportebat, ad brevitatem in dicendo respexeris et, fortasse, ad quoddam sententiarum compendium, quo si usus esses, non omnia ad verbum reddidisses, sed ea tantum quae in fabula maioris essent momenti. Quod, mea opinione, philologi non est, narratoris autem munus gratum itemque praecipuum, si velit, esse potest: tu autem, inter utrumque, locum quendam expressionis tibi consentaneum invenire studuisti. Quod, si bene video, apprime consequi studuisti idque notam huius translationis peculiarem puto.

Ceterum, gavisus sum admodum legendo pp. 10-12, quae ad narrationis exitum spectant, ubi hilariter incidimus in aequam/iniquam pueri calliditatem qui, dum mala patrat facinora contra amitam et psittacum, suas propter versutias, mihi maxime acceptus evasit ibique fabulae fulcrum inveni.

Nihilominus, tuam indefessam navitatem ad Latinitatem tutandam, augendam, provehendam, etiam scriptis hoc genus, admiratus, miror tamen qua de causa aliorum tantum scriptorum opera Latine semper converteris, non autem, quo es ingenio, tua, quantum scio, unquam promere volueris. Curiosum igitur me fateor a te hoc unum sciscitandi. **Vale.**

d.03. m.Aug. a.2023 h.22.49

### **Nicolaus Mauro suo poetae laureato sal.pl.**

Gratias ineffabiles tibi ago, Maure carissime, pro recensione subtili atque prolixâ, quam libentissimê divulgabo proximâ in Epistulâ Leoninâ. In fine quaeris, cur semper sôlum convertam fabulas, sed ipse non scribam. Ut verum confitear: Non puto me tam bene narrare scire quam in Latinum convertere. Si omnes fabulas, quae mihi eximiê placent, in Latinum convertero, ipse incipiam fabulam effingere. Sed suspicor hoc factum iri Kalendis Graecis. Nam plures fabulae sunt, quae mihi placeant, quam ut omnes convertam. Nam ars longa, vita brevis, ut ait Hippocrates. Ceterum pro certo habeo me artem narrandi *Ludovici Thomae* numquam aequaturum esse. Itaque mihi satis est quam optimê eiusdem opera in Latinum convertere. Sequor enim *Apellem*, qui dicitur dixisse: "*Sutor, ne supra crepidam!*"

Haec hactenus, mox, si volueris, certê plura. Vale pancraticê, care Maure, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

## **JOANNES CAROLUS MEDIOLANENSIS**

d.03. m.Aug. a.2023 h.13:50

### **Nicolaus Leo Latinus Joanni Carolo Rossi suo optimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

Quid fit, quid agitur? Fruerisne diebus aestivis? Esne loculum frigidulum nactus? Utinam ne fervores patiaris. Utinam liceat tibi gustare frigus amabile. Iamne perlustrasti Epistulam Leoninam 281? Tibi commendo fabulam criminalem a *Ferdinando de Schirach* scriptam, c.t. PUELLAE. Qua agitur de viro qui propter diffamationem tres annos degit carcere inclusus et desiderat ultionem. Agitur de re psychologicâ. Quid tibi videtur de arguento fabulae? Quid censes de elocutione Ferdinandi laconicâ? Suspenso animo exspecto arbitrium tuum sagacissimum. Ceterum amicus tuus *Claudius Piga* nuper mihi misit epistolium, cuius appendicem - proh dolor - non potui aperire. Vale pancraticê, mi care sodalis, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.07. m.Aug. a.2023 h.20:07

### **Joannnes Carolus Nicolao salutem!**

Modo legi fabellam, ex qua magnam cepi voluptatem. Fateor mihi nomine tantum *Ferdinandum de Schirach* notum fuisse, sed quantum quidem e vicipaedia comperi, dignus est laude non modo propter litteraturam, qua multis illius aequalibus praestare perhibetur, sed etiam propter integratem aequitatem innocentiam, qua crudam ne dicam infandam hereditatem suorum repudiare valuit. Legi enim eum acerbe puduisse quod avia, pertinax Hitlerii fautrix, etiam postquam de Judaeorum exicidio certior

esset facta, omnia bona illis vi erepta, quae possidebat, sibi vindicare perrexisset, quasi internecio furtis cumulari deceret.

Sed venio ad versionem tuam. Quam qui possim existimare, germanice quum sim nescius? Video tamen te breviloquentiae studuisse, ut stilum scriptoris laconici imitarere. Puto etiam te non multo ab exemplo discessisse, quasi verbum reddens pro verbo.

Si vero fas est apertis verbis dicere quod sentio, βραχυλογία non iisdem modis comparatur, siquid ex una in alteram vertis linguam: habent enim suas quaeque proprietates, quae raro reciprocantur. Ceterum de quaestione interpretandi peracute scripsit *Arthurus Schopenhauer*, cuius sententiam a *Patre Caeleste* quondam acceperam: oportere corpus omni veste detracta novo amictu induere.

Multa, verbi gratia, quae breviter et compendiose apud nos exprimuntur, latine verborum circuitibus prolixioribus comprehenduntur; versa vice fulminea apophlegmata Romanorum, majore copia verborum sunt nobis reddenda, ut ad aequalium captum et consuetudinem accommodentur. Huc accedit quod minutiae quaedam, quibus scriptor nostris temporibus indulget, quo subtilius homines vel loca depingat, auribus latinis veluti supervacanei ornatus resonent.

Sed velim exemplo sententiam meam demonstrare. Videamus primam periodum, qualem tu fidus interpres proposuisti. Antequam Hubertus abductus est, eidem omnia bene successerant. Qui Mariam cognoverat in cenâ apud amicos factâ. Quae mulier gesserat vestem nigram et anaboladium sericeum, cui impictae erant aves paradisi versicolores. Maria fuit magistra scholae elementariae, Hubertus repraesentator supellectilium graphealium. Mutuo in amorem inciderant, et hōc tempore transacto adhuc bene concordati erant. In familiae festis omnis dicebat illos esse par amantium bellulum, et plerique hoc dicebant serio.

Evidem si eadem narrassem ex integro, eo consilio ut quam compendiosissime dicerem, nonnulla omitterem, in quibus legens fere inaniter immoraretur. Sine me tua convertere: tuum erit videre utrum nimis a Ferdinand de Schirac discesserim, an proprius ad illius stilum accesserim. Scito tamen nolle me tibi quicquam invidere, vel, quod deterius est, me ipse jactare, sed tantum occasionem proponere disputandi.

*Huberto, antequam abduceretur, omnia prospera contigerant. Mariam apud amicos inter coenam nactus est: veste nigra et anaboladio serico indutam, cui versicolores aves paradiseae erant appictae. Maria magistra, Hubertus institutor. Mutuum concepere amorem atque annorum decursu tam concordibus animis esse juncti videbantur, ut in conviviis familiaribus bellulum par amantium ab omnibus dicerentur. Plerique autem serio hoc dicebant. - Fac sciam quid sentias meque semper amicorum adscribas numero. Vale!*

d.07. m.Aug. a.2023 h.21.47

**Nicolaus Joanni Carolo suo optimo sal.pl.**

Magnas tibi ago gratias, mi care Joannes Carole, pro responso prolixo tuisque considerationibus suasionibusque sagacissimis et benevolentissimis. Recto tempore mihi misisti; nam hac nocte Epistulae Leoninae 282 manum impono ultimam. Eidem

libentissimē inseram etiam hanc epistulam tui. - Suspenso animo exspecto quid tibi in buccam venturum sit de Leoninā novissimā; bene spero te delectatum iri eiusdem varietate. Haec raptim; mox, si volueris, certē plura. Pancraticē vale, mi care amice Latinissime, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

## **ANSGARIUS OSLOENSIS**

d.3. m.Aug. a.2023 h.10.15

### **Nicolao salutem plurimam Ansgarius**

Gratias tibi ago pro epistulis leoninis. Imprimis res ciconiae me delectaverunt. Quamquam in scientiis plumbeus sum, nihil mihi iucundius est quam interdum strictim evolvere historias naturales. Ciconia alba, habitu sat singulari, primo aspectu fortasse hominibus vanis cachinnum concitat, utpote quae p[ro]ae se speciem ferat sacerdotis a mente alieni, vel scurrae sibi nimis placentis. Attamen, haud scio an dominulus ille provincialis moribus sit dubiis, nam non tantum nimis otiosus, tempore pomeridiano, graditur per prata, vel ex campanario ecclesiae omnia, quae in vico suo rustico fiant, quem aequo curiosius speculatur, vero etiam trans Bosporum vel in valle Nilotica hibernat, dubio procul ut voluptatibus non prorsus honestis indulget! Praesertim ciconiae rostrum immmane ac rubeolum ad hilaritatem pueros provocat. Verum, si potestas nobis datur avem illam propius inspiciendi, non citra commotionem animi videmus, quanta cum gula, nec sine obscenitate, ranas ac lacertas vorent ciconiae, quae olim infantulos neonatos in corbi impositos matribus modestis, et bene moratis, afferre solebant. Et cum ciconiam glottorantem audimus, nonne auribus arrectissimis et fere trementibus percipimus sonitus antiquissimos et ab cultu civili nostro remotissimos? Nihilo secius semper mihi placuit avis illa specie pulchra iuxta ac iocularis. Legione in Castilia, id est in Hispania mera ac vera, ubi nonnumquam rusticari soleo, non minus ad aegritudinem animi levandam, quam ut coetus hominum fugiam, ciconiae abundant. Etiam media in urbe, ecclesiam Sancti Isidori, hic enim reliquiae illius Sancti inveniuntur, nonnullae ciconiae vigilanter custodiant. **Cura ut valeas!**

### **Nicolaus Ansgario suo optimo s.**

Animo elato accepi epistolium tuum ciconinum, quo de ave longipedi atque ranivorā philosopharis more iucundissimo necnon addidisti imaginem nidi ciconini graphicam. Gratias plurimas! Semper gaudeo de recensionibus Leoninarum tuis. Itaque animo suspenso exspecto, quid dicturus sis de illā fabulā criminali, c.t. PUELLAE. Iamne legisti? Est fabula diffamationis et conatū ulciscendi. Quid tibi videtur de argumento fabulae necnon de elocutione *Ferdinandi de Schirach*, qui fuit defensor poenalis? Scribe, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Ceterum in praesenti praeparo EL 282, cui inerit altera fabula criminalis, quā agitur de ... Ohe! - de anthropophagiā nimio amore effectā. Habeo etiam fabellam scientiae ficticiae (SF) praeparatam. Exspecta, quid serus vesper vecturus sit.

Vale pancraticē! **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.04. m.Aug. a.2023 h.09:34

### **Nicolao Ansgarius rursum salutem.**

Modo fabellam criminalem, quae *Puellae* inscribuntur, legi. Hoc opusculum exemplum praebet generis litterarum quod *realismus* vocatur, ni fallor. Nam realitas putativa in scriptis huius generis describitur. Realitas autem non est res obiectiva, sed perpetuo mutatur secundum perceptionem hominum singulorum. Nonne cogitatione magis fallimur, quam sensuum fallaciis? Ad rem raptim et distinete narrandam adhibetur sermo humilis, sed non ineleganter. Multa minutalia vitae cottidiana, quam modeste agit Hubertus primo sat fortunatus, deinde miserrimus, tandem iterum beatus, acute et breviter exponuntur. Haec omnia optime redduntur in interpretatione latina, non sine labore, ut suspicor, cum modulationes loquela germanicae subtiliores linguae latinae non omnino congruant. Et Ferdinandus ille procul dubio scriptor est sat callidus. Verum in argomento fabellae perpendendo haereo. Iam ab initio fabellae pro certo habemus Hubertum a culpa vacuum esse, quod variis modis, sed indirecto, indicat narrator. Igitur, quem ad finem, quo pacto, criminatio in Hubertum effecta sit, lector secum cogitat. Tandem certiores fimus, causam criminacionis erroneae fuisse puellarum levitatem atque insipientiam. Numquam autem perturbationem mentis, qua laborat puella illa zelotypa, legentibus altius licet inspicere. Tantum virgunculam illam inquietam flentem vidimus. Itaque, fortasse hic nisi una dimensio realitatis, quam vocant, lectori nimis curiosi praebetur. Nihilo secius risum vix tenere possumus, cum ultimas lineas fabellae legimus et animadvertisimus, quam insidiose auctor duritatem mulierum vituperet simplicitate animi peccavit. **Taurice te salutat Ansgarius**

d.04. m.Aug. a.2023 h.10:50

### **Nicolaus Ansgario suo subtilissimo sal.pl.**

Quâ es subtilitate eximiâ, care Ansgari, rem acu tetigisti in fabulae *Puellarum* auctore aestimando. Verbis tuis acceptis nunc ipse desidero descriptionem animae puellaris subtiliorem. Quae deest. Sed Ferdinandus in his fabulis non solet fusê describere omnium commotiones animorum; potius est Iapon parcus delineator atramentarius quam *Rubens* et *Rembrandt* et *Goya* et *Velasquez* e.m.al. pictores uberrimâ abundantiâ colorum linearumque pollentes. - Quid censes de hac metaphorâ meâ ex provinciâ artis figurative sumptâ? **Vale semper, medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.04. m.Aug. a.2023 h.11:48

### **Nicolao salutem plurimam Ansgarius**

Recte dicis, Fernandus vester scriptor est admodum scrupulosus, qui magna cum cautela dolis artis rhetoricae utitur. Parce etiam narratiunculas suas exponit, et bene facit. Multi enim scriptores nimium prolixii, et ingenii sui admiratores, fabulas longiores contexunt, scilicet sescentarum paginarum, incertum ut in musarum animum an legentium molestiam quam maximam afferant. Nam nisi permultum ingenio valemus, cum fabulas romanicas exaramus, breviter nobis dicendum est. Iam

aestas in exitu est, autumnus appropinquat, cum iuris public fieri solent, non nisi principalibus linguis occidentalibus, multa milia fabularum romanicarum!

### Cura ut valeas!

d.4. m.Aug. a.2023 h.13:27

### Nicolaus Ansgario suo s.

Quia tanto acumine mentis tantaque subtilitate fabulam Ferdinandi *Puellarum* explicasti, alias Ferdinandi fabulas tibi mitto iam Latinê redditas, magnâ cum suspensione animi exspectans, quid de his fabulis tibi in buccam venturum sit. Vale semper, artium arbiter sagacissime. **Nicolaus Leo Latinus**

***Ecce ciconiae Castellanae. Hunc nidum ciconinum Leoni misit Ansgarius.***



d.6. m.Aug. a.2023 h.10:43

### Nicolao Ansgarius plurimam salutem

Modo rursum fabellam *Ferdinandi von Schirach* legi, scilicet illam, cui titulus *Fähner*. In praefatione laudat *Jarmusch* et *Heisenberg*, alteri enim magis studium movebat homuncolorum canem ducentium quam Sinarum imperatores, alterum autem non fugiebat quemadmodum *realitas*, quae vocatur, semper esset rerum quaedam interpretatio. Ferdinandus igitur non afflatu divino, vero rebus mundanis ad scribendum incitatur. Cum autem iam in exordio attulerit verba *Heisenbergii*, etiamsi locus ille laudatus ad physicam quanticam pertineat, ni fallor, nobis diligenter

expendendum est, quantopere fallamur homunculi, non tantum specie rerum, vero etiam earum interpretatione! Nam minime veri simile est, commemorationem Heisenbergianam ad genus ipsum litterarum quod realismus vocatur, adhibendam. Denuo Ferdinandus demonstrat quam callidus scriptor sit, ratione enim multorum auctorum Francogallicorum et Russicorum saeculi undevicesimi, iam ab initio fabellae, omnia minutalia, ad adverbia et adiectiva usque, ad epimythion spectant, ut lectores primis lineis, non aliter quam in favoribus nocturnis, de exitu lacrumabili certiores fiamus. Nam fabella specimen praebet philosophiae moralis, fortasse ut videtur, propriae cum hominum septentrionalium tum Germanicorum. Non sine causa Ferdinandus fecit mentionem avunculi sui, militis veterani ad meditationem proclivis, qui rerum intricatione defatigatus, in Nigra Silva mortem sibi acceleraverat, focili in ore duplice immissa, ut strenuos ac rectos homines decet, quod irridendi animo minime dico. Casus Fridhelmi Fähner, illius porci ingratissimi, exemplum affert summae perversitatis, non hominum singulorum, sed religionis, cultus civilis, legum civitatis, ceterarumque rerum quae mirandum in modum amaritudinem animi atque asperitatem vitae humanae augent. Fähner noster homo peracutus ac diligens est, qui multum ingenio valet, non enim minus aptus est ad studium scientiarum quam ad opera manualia, - haec affectio animi nisi in viris praeter modum ingeniosis raro invenitur - , ut in medicatrix pariter excellat, atque in horto. Verum, quantum ad psychologiam moralem attinet, ut ita dicam, perceptione rerum erronea, vel potius noxia, valde laborat Fähner. Ita in re publica ius iurandum maximi ponderis est, quod muli politici plane ignorare videntur, ut in vita hominum effectus habeat perniciosos. Homines leviores, nec immerito, cum uxore divortium fecissent, non secus quam magistri, sacerdotes, politici, diurmarii, multi scientistae, ceterique potentium asseclae, imprimis sibi consulunt, maxima cum iniuria, in rebus publicis gerendis. Fähner igitur, si procul dubio crimen in se admisit cum uxorem necaret, cum nimis diligenter honestatem morum coleret, fortasse aliquantulum erravit. Quantam autem vim habeant quaestiones morales ad homines perturbandos, aperte monstravit avunculus Ferdinandi, in Silva Nigra. **Basilice te salutat Ansgarius**

## NAEVIUS SARTORIUS

01.08.2023 d.22:46

**Nicolaus Naevio s.**

EX SARAVIA REVERSUS TE SALUTO MI CARE NAEVI. NIC.

d.02.08.2023 h.08:03

**Naevius Nicolao s.**

Gratias tibi ago. Mater tua bene valetne? **Medullitus, VN**

d.02. m.Aug. a.2023 h.08:33

**Nicolaus Naevio suo s.**

Post sectionem chirurgicam bene reconvaluit, sed exercitia pedibus eundi non sufficiunt. Mater exercitia eundi parum naviter curat, quia timet, ne cadat.

Physiotherapeutria nimis rara adest, difficile est aliquam invenire, quae parata est in domos vehi privatas. Ceterum mater mea gaudet, quod nunc semper adest filius aut maximus aut minimus natu. Bis in die (incertâ horâ) venit aliquae curatrix.

Frater meus, qui est pensionarius et habitat Caroliruhae, queritur, quod vix versari potest extra domum maternam. Nunc comparavit clusuram ianuae domesticae scopocamerâ instructam, ut mater e lecto possit hominem intraturum in visificio videre, et, si vult, ianuam electronicê aperire. Incertum est, num umquam - ut antea - denuo solitaria habitare possit. Quid concludamus, care Naevi? Molesta est senectus, ut cantamus in cantico: *Gaudeamus igitur, iuvenes dum sumus. Post iucundam iuventutem post molestam senectutem...*

Vale semper pancraticê, **Nicolaus.**

d.06. m.Aug. a.2023 h.11:55

### **Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, iamne legisti verba illius Tranquilli? <https://www.tichyseinblick.de/tichyseinklick/die-zerstoerung-des-normalen/> Bene descripts condicionem rei publicae; conclusioni eius assentior: ideologia prasina est perversio vitae nostrae usitatae. Hic potes legere ea quae ista Catharina "Sancta" prasina sentiat. Nonne caeca, nonne stulta, nonne superba est statuens "*ich muss jetzt hier stehen bleiben – stellvertretend für die Demokratinnen und Demokraten*"? Apparet eam putare solum se et catervam prasinam habere opinionem politicam rectam; indignationem iramque civium furorem politicum moleste ferentium falso pro odio habet. Vix tolerabilis est ista orthodoxia summa. Potestne ista prasina pia distinguere totalitarismum a democratiam, falsum a vero? Dubito. Certe, ea vult bona fieri, sed revera efficit mala. Ille animus est nucleus caecitatis prasinae et causa calamitatis rei publicae. **Vale semper, Naevius.**



d.06. m.Aug. a.2023 h.13.43

### **Nicolaus Naevio suo sal.pl.**

Profecto acu tetigisti Catharinae Prasinae superbiam et caecitatem stultitiamve describens. Superbia atque stultitia, ut aiunt nostre, crescunt in eodem ligno. Ista vipera viridis dextros accusans quales dicit esse osores et instigatores et democratiae adversarios, clarissimê demonstrat talem esse se ipsissimam. - *Rolandus Tranquillus* - nomen suum gentilicium modo loquendi interim saepius refutans - rectissimê explicat non agi de rebus marginalibus atque superficialibus, sed de summâ rerum: fieri in

societate nostrâ veram pugnam culturalem: moriones rubroprasinos asciam impingere radicibus ipsius humanitatis, fundamentis identitatis nostrae. Paulatim nobis videmur agnoscere novam auroram; in dies plures hominum cognoscunt, quam pravum, quam perniciosum, quam calamitosum sit iter, quod facimus insidentes navigio semaphori ineptissimo. Haec spêcula nova utinam ne fallat animos nostros toties iam deceptos. **Cura ut valeas quam optime, NIC.**

d.06. m.Aug. a.2023 h.19.48

**Nicolao Naevius sal.pl.**

Gratias tibi ago, ceterum hic invenies verba iucunda prudentiaque illius Kolja de Bacciballo terriloquo <https://www.youtube.com/watch?v=X5bpLwPvGaw> N.

d.06. m.Aug. a.2023 h.21:47

**Nicolaus Naevio s.**

Ricarda Locutrix Iuventutis Prasinae haec verba friguttivit (*e theodisco Latinê reddo*): "Non puto mihi esse mandatum, ut assuefierem ad (*talia supernomina quale est*) 'CUNNUS PINGUIS'. Potius mandatum est omnibus, ut certarent pro societate instituendâ, in quâ talia non iam adhibeantur." - Quid hariolatur ista semicupa? Vultne societatem creare, in quâ non iam adhibeantur verba increpitatoria? Vultne quam plurimos camos et fiscellas et custodes et delatores? *Annettas Kahanes ubiquitarias?* Ohe! Quam aliena ista est a veritate vitae et a naturâ humanâ! **NIC.**

d.06. m.Aug. a.2023 h.22:30


**Naevius Nicolao s.**

Bacciballo isti haec proponere volo: Sile, tabe, stude, labora! Postquam penitus novisti vitam novam tuam talem, tibi liceat denuo ad rem publicam accedere. N.



## EMENDANDA & SUPPLENDAM

- 1) EL 280, p.96, inciso 8, lin.1: Deinde mater mea subito reversa (non: reversus)
- 2) EL 281, p.24, lin.3 ab ultimâ: *dele* dixit.
- 3) ibid., p.25, inciso 6, lin.4: incohaturum esse (non: incohare).
- 4) ibid., p.26, inciso 4, lin.3: iam omnia Ucrainianis misisse (non: iam omnia bereits alles an die Ukrainer geliefert hätten).
- 5) ibid., p.26, inciso 5, lin.1: cottidie iaculatur (non: cottidi)



# **EPISTULA CHRISTIANI LAES: DE CERTAMINE QUIRINALI**



**PROF. DR. CHRISTIANUS LAES  
ANTVERPIENSIS ET MAMUCIENSIS**

**Christianus Laes praeses omnibus sodalibus ALF salutem plurimam.**

Conventiculo ALF feliciter peracto, licet mihi vobis annuntiare rem alicuius momenti, de qua inter consiliarios sumus collocuti.

Nemo enim nostrum ignorat certamina Latina, quae nunc exstant, ad carmina vel fabulas narrationesve fictas plerumque spectare eodemque tempore neglegere symbolas et commentationes doctas, quas olim studiosi saepe Latino sermone pangebant. Omnibus patet quaquaversus quantopere homines docti ac praesertim philologi, exoleta consuetudine scribendi Latine, munere suopte se abdicarint.

Nobis est persuasum Latinam linguam commercia inter doctos, praecipue inter eos, qui disciplinis philologis, historicis archaeologicisve student, hodierno quoque tempore fovere posse. Commentarios academicos exarare sermone naturali et communi scrutatoribus rerum classicarum inceptum est laude dignum, cum nationibus cunctis ostendat pro imperio linguae Anglicae alterum sermonem ‘universalem’ substitui posse.

Qua de causa cogitavimus de certamine ab Academia instituendo, ut optima symbola Latine scripta et in commentariis periodicis divulgata praemio honestetur. Certaminis praeconium documento subiuncto inest. Propositum primum huius certaminis erit suadere studiosis, praesertim

iuvenibus, ut investigationes doctas Latine publici iuris faciant. Ne plura scribam: sint Maecenates, non deerunt Marones...

Praesertim sodali nostro Marco Cristina gratias ago, qui hoc propositum summo studio atque ardore excogitavit, propagavit, defendit.  
Valeatis pancratice atque Latinitatem fovere pergatis

### **Prof. Dr. Christian Laes**

Departement Geschiedenis/ Department of History  
Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp  
Stadscampus·S.SJ.303·Sint-Jacobsmarkt 13·  
B 2000 Antwerpen

# CERTAMEN QUIRINALE

**Academia Latinitati Fovendae ad primum Certamen Quirinale omnes antiquitatis litterarumque studiosos invitat, ut optima symbola inter a. 2018 et a. 2023 Latine publici iuris in commentariis periodicis facta praemio honestetur.**

**Ab universis scriptorum auctoribus rogatur, ut symbolam (iam typis traditam) non ex alio sermone versam nec quinque paginis breviorem iudicibus ante Kalendas Februarias a. 2024 mittant ad inscriptionem cursualem electronicam, quae est certamen.quirinale@gmail.com. Symbolae tantum accipientur, quae e plagula .pdf constant. Unam symbolam exsistimandam omnis candidatus tradat.**

**Collegium sodalium Academiae attente considerabit ac iudicabit commentationes doctas (e.g. philologas, litterarias, philosophicas, theologicas, archaeologicas, historicas, glottologicas vel musicologicas), aestimata et stili Latinitate et argumenti gravitate. Symbola enim enixe exquiritur non solum Latino sermone emendato scripta, sed etiam de rebus quae maioris sint momenti ad progressum disciplinae cuiusvis provehendum. Qua de causa scriptionibus tantum in commentariis periodicis editis in certamen venire licet et textus omnes reicientur sive qui his normis non responderint, sive qui ad argumenta privata vel pensa scholastica pertinere videbuntur sive qui ante Kalendas Ianuarias a. 2024 nondum publici iuris facti sint. Cum praemium proponatur curante et auspice Academia Latinitati Fovendae, cuius socii munere iudicis fungentur, nullus sodalis Academiae praemium accipere poterit.**

**Praemium victoris erunt Euronummi 500 una cum diplomate. Omnes candidati de exitu certaminis fient certiores mense Maio anni 2024 et victor in conventu ALF eiusdem anni praemio honestabitur.**

Commentarii periodici, qui symbolas Latino sermone scriptas accipiunt, sunt e.g. *Aevum*, *Arctos*, *Aristeas*, *Eos: commentarii Societatis Philologae Polonorum*, *Epistula Leonina*, *Eranos*, *Exemplaria Classica*, *Giornale Italiano di Filologia*, *Gnomon*, *Hermes*, *Hyperboreus*, *Latinitas*, *Latomus*, *Melissa*, *Museum Helveticum*, *Peitho: examina antiqua*, *Philologia Classica*, *Renascens*, *Rheinisches Museum für Philologie*, *Rhetorica*, *Symbolae Philologorum Posnanensium*, *Tyche*, *Vox Latina*.

# **ECCE MYSTAGOGUS PULCHER AUGUSTANUS**




<https://maximilianus-schoen.jimdosite.com/>

***Quomodo communicandum***

**Communicemur per 0821 / 9069613  
sive per maximilianus-schoen@t-online.de**

**Anfragen unter 0821 / 9069613  
oder per Mail maximilianus-schoen@t-online.de**



## Alexey Slednikov

К этому письму приложены ссылки на следующие файлы:

### 1. A. Slednikov de Latinitate viva.pdf (87.2 Мб)

Ссылка для скачивания файлов:

<https://cloud.mail.ru/stock/iSxU1M8WCzTk6fyKA38nvuPD>

Файлы будут храниться до 31.10.2023

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA ΕΙΣ ΑΕΙ.*

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRETUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA—Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE —Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI — Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM	7 pp.	€ 17,50

			<b>REYNERI BERLBYN</b>	Raelt			pdf		
14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmat t	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM</b>	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27	<b>0050 6A</b>	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibles</b>	L.A. Seneca	----- ----- --	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	<b>00107 A</b>	978-3- 938905-27- 2	<b>ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS</b>	Apuleius	----- ----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	<b>0020 7A</b>	978-3- 938905-28- 9	<b>OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA</b>	Livius	----- ----- --	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	<b>00307</b>	978-3- 938905-29- 6	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob/Wil- helm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM SECUNDAM**



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE  
PERFECIT**

**Die Martis, 08. m.Aug. a.MMXXIII**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**